A (TUC) -fol
PHAEDRUS
PHAEDRI AUG.
1701
c.2



37131 137 017 760

PHAEDRI
AUG. LIBERTI
FABULAE
AESOPIAE
In usum
SEREN. PRINCIPIS
NASSAVII.

Amstelodami
Apud
FRANCISCUM HALMAM,
cIↃ IↃcI.

J. Goeree delin.

P. Boutats fec.

PHÆDRI, AUG.
LIBERTI
FABULARUM
ÆSOPIARUM
LIBRI V.

NOTIS ILLUSTRAVIT IN USUM

SERENISSIMI PRINCIPIS
NASSAVII

DAVID HOOGSTRATANUS.

Accedunt ejuſdem opera duo Indices, quorum prior eſt omnium verborum, multo quam antehac locupletior, poſterior eorum, quæ obſervatu digna in notis occurrunt.



AMSTELÆDAMI,

EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI HALMÆ.

CIↃ IↃ CCI.

JOANNES GULIELMUS FRISO, PER DEI GRATIAM

Princeps Nassavius, Comes Cattimeli= bocorum etc. etc. haereditarius Frisiae,
Groningae, et agrorum circumjacentium Gubernator.

Hanc faciem gerit, hunc formosae frontis honorem
GVILIELMVS, Frisii spes recidiva soli.
Tales sese oculis, tales sese ore ferebant
Liber et Alcides: talis Iulus erat.

Non minus hic claros virtute anteire Parentes,
Non minus hic magnos vincere certat Avos.
Quoque magis possit quaesitam tangere metam,
Firmat eum auxilio Turba novena suo.

D. VVD. HOOGSTRATINVS.

B. Vaillant del. Pyan Gunst sculp. F. Halma Excudit.



SERENISSIMO. AC. CELSISSIMO

PRINCIPI

JOANNI. GULIELMO FRISONI

PER. DEI. GRATIAM

PRINCIPI. NASSAVIO

COMITI. CATTIMELIBOCORUM

VIANDÆ. DIETZIÆ

SPIEGELBERGÆ

DOMINO. BEILSTEINII

BARONI. LIESVELDIÆ

HÆREDITARIO. FRISIÆ
GRONINGÆ
ET
AGRORUM. CIRCUM-
JACENTIUM. GUBERNATORI
DESIGNATO



Igna Parente Tuo ſoboles,
clariſſime Princeps,
Spes Patriæ, Princeps,
præſidiumque Tuæ,
Accipe pacato quos mitti-
mus ore libellos.
Munera ſunt ſtudiis non aliena tuis.
His nempe in foliis, ævi ſapientia priſci,
Quæ modo cunque damus, prodigioſa
latet.

Illa

DEDICATIO.

Illa ſenis Phrygii producta e pectore quondam
Ingenium Phædro materiemque dedit.
Spiritus hic alto tactus de culmine Pindi
Incepit variis luxuriare modis.
Et modò jucundo ludunt animalia ritu,
Et fundunt ſalſis non ſua verba jocis.
Et modò in hiſtoriis quærit ſibi ſeria veris,
Lectorem oblectans erudienſque ſuum.
Altius hinc ſurgit, & tota theatra videtur
Majeſtate operis poſſe movere ſui.
Denique quicquid agit, proventu divite præbet
Judicii nuſquam deficientis opes.
Quin & lætitiæ nactus de nomine nomen
Attra-

DEDICATIO.

Illum cernere erit ſua per veſtigia ferri,
Cernere erit ſimili laudis amore rapi.
Tunc ego, qui tenues ad Te nunc defero luſus,
Tentabo Heroïs altius ire modis.
Teque Tuoſque canam, ſi non mihi lævus Apollo.
Ingenium nobis & Tua facta dabunt.
Perge tenax modo propoſiti. Tibi gloria victrix
Sola rogi meritis præmia digna parat.

SERENISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ

DEVOTISSIMUS

DAVID HOOGSTRATANUS.



LECTORI BENEVOLO

S.



Um nihil minus cogitarem hoc tempore quam de Phædro edendo, quem nuper admodum notulis illuſtratum publici juris feceram, rogat ecce me Franciſcus Halma, optimis Bataviæ noſtræ typographis magno ſuo merito accenſendus, ut quod beneficium antea in juventutem ſtudiis deſtinatam contuleram, idem nunc in Principem Juventutis conferrem. Impetum ſcilicet ceperat egregiam, nec tanta perſona indignam editionem adornandi. Re mecum perpenſa dedi id ejus precibus, captus novitate operis, & delectatus ornamentis, quæ inſolitum nitorem huic libro eſſent allatura. Recenſui itaque denuo cultiſſimi Fabulatoris libellos, & his ſecundis curis examinavi quæ viri docti paſſim coacervârunt ad veram ubique lectionem conſtituendam. Unde ea depromſimus quæ nobis ſaniora videbantur. Congeſſimus deinde quæcunque poterant inſervire juvandis ſtudiis SERENISSIMI PRINCIPIS, cujus tenerior ætas obruenda non erat difficilibus obſervationibus, quas ſcriptis ſuis immiſcuerunt, qui vel ex profeſſo vel alia occaſione operam Phædro navârunt. Adjumento mihi

inprimis fuerunt animadverſiones clariſſimorum virorum Joannis Schefferi, ante omnes alios optime de Phædro meriti, Tanaquilli Fabri, Conradi Rittershuſii, Nicolai Rigaltii, Ludovici Praſchii, & qui nuper in lucem exiit Marquardi Gudii, Nicolai deinde Heinſii, Joannis Frederici Gronovii, Joannis Georgii Grævii, Jacobi Perizonii, aliorumque, quos hic illic nominamus. His acceptum ferimus quicquid inſtituto noſtro ſerviebat. Non enim neceſſe erat quæ illi bene explanârant, & clara luce perfuderant, denuo explicare, & actum, quod dicitur, agere. Neque interea nihil ipſi vidimus: ſed compluſcula iis omnibus addidimus, quæ fructum ſuum eſſent allatura, nullam inde laudem venantes, ſed ſatis habentes nihil negligere, quod aliquid poterat conferre auxilii ad Scriptorem noſtrum in facillima ponendum cognitione. Debetur tamen aliquid, opinor, induſtriæ noſtræ, ſi conſideres quanta cura hos verſus ad leges ſuas, quas doctiſſimi etiam & ſagaciſſimi viri negligenter habuerunt, revocaverimus. Ineptiſſimum enim eſſe judicamus quod Scioppius aliique affirmare ſunt auſi, ignoraſſe Phædrum leges verſuum, quibus hoc opuſculum concinnavit. Uſus eſt libertate quadam, quod recte obſervavit Faber cæteris oculatior: id vero nequaquam fecit ignorantiâ rerum, quas ſcire debebat, ſed ut ſermo ejus ſermoni familiari eſſet propior, & proſam orationem aliqua ſpecie mentiretur. Cui ſcribendi generi jam homines iſtius temporis aſſuefecerant Laberius & P. Syrus, quibus ætate proximus fuit Phædrus. Conſtat apud omnes, hujuſmodi ſenarios, ſi ad purioris Jambici anguſtias velimus attendere, paribus locis recipere nullos pedes, niſi Tribrachyn vel Jambum, & ſexto quidem loco ſolum Jambum; imparibus vero Spondæum, Jambum, Tribrachyn, Dactylum, & Anapæſtum; nulloſque præterea alios umquam admitti. quod non viderunt homines quidam eruditi, qui dum operam dant loco alicui perſanando, eidem inſcitia poëticæ novum vulnus inflixerunt. Licentia autem,

tem, quam Phædrus ſibi indulſit, in eo conſiſtit, quod quinque priorum pedum conſtitutionem ſuſque deque habuit, & ut ita dicam, caſui permiſit. Nuſquam vero intruſit verſibus ſuis pedem alienum, nec umquam in ultima ſede Jambi collocationem neglexit, ſi tamen diſceſſeris ab uno loco, qui eſt in libri quinti fabula ultima, ubi vox *latrans*, cujus prima eſt longa, verſum claudit. Quod animadvertens vir magnus Gerardus Joannes Voſſius negat Phædrum eſſe Auguſtæi ævi, reclamante interim Chr. Waſio Anglo, qui *Senarium* edidit, opus, in quo poſt alios agit de licentia veterum poëtarum, in quod incidi demum, poſtquam omnia typis eſſent deſcripta: ſed ita reclamante, ut ſtatuere videatur lapſum hic eſſe Phædrum imperitiæ culpa, neque id mirum eſſe, cum ipſe fateatur ſe faſtidioſe in cœtum poëtarum recipi. Quaſi non idem Phædrus aliis locis longe alia de ſe prædicet, conſcius laudis ſibi debitæ, & ſecuturæ immortalitatis. Quæ vero medicina huic verſui ab inſulſis exſcriptoribus vexato a nobis ſit facta, dicto loco poteſt videri. Huc nihil facit quod ſubinde vel vocalem ante vocalem, vel M conſonantem in fine vocis, ſequente vocali, prætermittit elidere, & alia audet, quæ repugnare videntur Grammaticorum placitis: cum in his nitatur auctoritate Virgilii, aliorumque aurei ævi ſcriptorum. Certe qui non omni caret judicio, nec penitus rudis eſt artis poëticæ, facile videt, quam egregia in hoc carminis genere, ſi voluiſſet, præſtare potuiſſet Phædrus, cum caſus, ut patet, tantum numerum exactiſſimorum verſuum expreſſerit, quos omnes credibile eſt inſtar Ovidianorum ſponte ſua ad aptos numeros perveniſſe. Quales ſunt ſtatim in initio operis, Prolog. lib. 1.

Hanc ego polivi verſibus ſenariis,

&,

Fictis jocari nos meminerit fabulis;

aliique multi, qui in omnibus fere fabellis occurrunt. Tum & hi longe elegantiſſimi lib. 2. fab. 8.

Hominumque tecto ſpiritum commiſeris?
At ille ſupplex: Vos modo, inquit, parcite,
Occaſione rurſus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices.

ubi toti quatuor ſunt verſus, qui ad regulas Senariorum feliciſſime ſunt elaborati. Iterum hi tres lib. 3. fab. 10.

Adjecit id, quod ſentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus.

& eadem fab. ✠. 25.

Iræ furentis impetum non ſuſtinens.

Deinde lib. 4. f. 4.

O ſi maneret condito ſenſus patri!

Eod. libro fab. 5.

Periclitatur magnitudo principum.

Qui omnes ita ſe habent, ut non paullo meliores ſint multis, qui in Seneca Tragico inveniuntur. Superſedeo alia adferre, quæ obſervârunt Tanaquillus Faber & Ludovicus Praſchius, quorum Prolegomena legi merentur. Hæc omnia cum cura ad animum meum referens nihil non tentavi, ut Phædrum ab hac injuria defenderem. Quod dum ago, improbare coactus ſum multa, quæ maximi nominis viri in illius fraudem in chartas conjecerant. Adeoque non puto facile quicquam repertum iri, in quo argui poſſimus negligentiæ, vel appariturum ullum verſum, cujus dimenſio non poſſit inveniri. Hæc ſunt, quæ præſtitimus, benevole Lector, rejectis aliis, quæ ad ſcopum noſtrum nihil faciebant. Quibus iſta non probantur, illi ſe paſcant deliciis moroſiorum criticorum, audaciſſimas conjecturas nobis obtrudentium, & dictatorie pronunciantium, *Ita lego: lege ſic meo periculo*, & quæ ejus farinæ ſunt plura, nec ullis argumentis ſua dicta confirmantium. qua agendi ratione nihil eſt exitioſius. Securi itaque quid judicaturi ſint illi, quibus conatus noſtri leviores videbuntur, non erubuimus nos componere ad exemplum tot politiſſimorum

rum hominum, qui ita veteres auctores ſcriptis ſuis illuſtrarunt, ut nullam partem omnino Latinæ linguæ contemnendam duxerint. Quin & præivere jamdudum hac via tot viri docti, qui in uſum Sereniſſimi Galliarum Delphini veteres ſcriptores ſibi exponendos ſumſerunt. Omiſimus tamen anxium iſtud interpretandi genus, quod multi ex illis adhibuerunt, rati ſatis lucis ex notis noſtris acceſſiſſe ad ea loca, quæ obſcuriora ſint, recte intelligenda. Hæc agenti ſubinde dubia mea & conjecturas communicare licuit cum doctiſſimis & politiſſimis Viris Petro Francio & Jano Broukhuſio, quos honoris & amicitiæ cauſa nomino, eorumque conſiliis uti. Quam occaſionem eo libentius arripui, quod præ manibus habens poëtam ad nullos me convenientius poteram conferre quam ad eos, quos poëtarum hujus ſæculi principes ipſe livor agnoſcit, quique pœne ſoli Muſas his temporibus ſeſe ſubducere parantes retrahunt e fuga & ſiſtunt. Hi quo ſunt in me ſtudio, & in bonas literas amore, libenter ſuppeditârunt quæ codici ſuo quiſque adnotaverant, ut ſi quid mihi ex uſu eſſet, inde obſervationes meas locupletarem. His auxiliis munitus potui felicius recenſionem Phædri peragere, & eluere labem, quæ contextui variis in locis in hunc uſque diem adhæſerat. Si quid peccavero, aliorum monitu errores meos cognoſcam, & emendare conabor. Cæterum quo commodior eſſet hujus libri uſus, adjecimus duos Indices, quorum priorem non ſine multo labore ita conſtituimus ut res exigebat, mutilum ante nec ſatisfacientem lectorum deſiderio, ut qui deſtitueret quærentes, & inveniendi ſuis locis vocabula ſpem omnem paſſim præcideret. quod patebit ei, qui priorem, quem Gallicus Interpres ſuæ editioni adjunxit, cum hoc noſtro volet conferre. Ut rem in pauca conferam, omni labore adnixus ſum, ut Phædrus aliquanto caſtigatior ac nitidior exiret in manus hominum, auctus inſuper quinque fabulis, quas bono quodam genio repertas a Marquardo Gudio, Viro in omni genere literarum erudito, primus nuper publicavit

cavit Vir clariſſimus Petrus Burmannus, in Trajectina Academia humaniorum literarum profeſſor, magni Parentis nequaquam degener filius. Nec adfirmare dubito, emendatiorem editionem numquam prodiiſſe hac noſtra. Parco verba facere de ſpecioſo cultu, quo ſe commendat oculis intuentium, eximia cura & impendiis Franciſci Halmæ, cui certe plurimum favoris & gratiæ debent ſtudioſi pro tanto ardore promovendi rem literariam, quo fit ut incredibiles ſumtus impendat publicandis eximiis auctoribus. Denique illius opera & mea effectum eſt, opinor, ut patriæ noſtræ juventus habeat cur gratias agat SERENISSIMO PRINCIPI NASSAVIO, ſub cujus auſpiciis muſteum hoc opus evulgatur. Vale, & ſi conatibus noſtris faves, alia quoque exſpecta.



VITA



VITA PHÆDRI

A

JOHANNE SCHEFFERO

Argentoratenſi compoſita.



Hædrus, cujus pauci meminerunt apud veteres, ſi non ante, ſub Auguſto ſaltem natus fuit. Virgilium profecto ac Ovidium eſt æmulatus, qui utrique ſub Auguſto floruere. Quin imo Auguſti mentionem facit ipſe, tanquam ejus, ſub quo vixerit, cujuſque geſta quædam obſervarit. Nam cum lib. III. c. 10. præmiſiſſet:

Narrabo tibi, memoria quod factum eſt mea,

ſubdit:

A Divo Auguſto tunc petiere judices.

Patriam habuit Thraciam, ut ipſe indicat præfat. lib. III. his verbis:

Cur ſomno inerti deſeram patriæ decus?
Threiſſa cum gens numeret auctores ſuos,
Linoque Apollo ſit parens, Muſa Orpheo.

***

Sed

Sed hoc alii; amplius obſervatione dignum, quod in monte Pierio videatur editus, quem antiqui ſedem atque domicilium Muſarum credidere. Ita namque, dicto loco:

Ego, quem Pierio mater enixa eſt jugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Jovi
Fœcunda novies Artium peperit chorum.

Vides ſimul, in hoc monte Muſas genitas putaſſe olim. Unde quoque nata eſt opinio, quod ibi commorentur. Strabo lib. X. *A cantilena & numeris, & inſtrumentis, & Thracica omnis Muſica, & Aſiatica fit magni. Quod ex eo liquet, quia ibi loca ſunt, in quibus velut ſedibus ſuis Muſæ eſſe dicuntur. Nam Pieria, Pimpla, Libethrum olim Thraciæ fuere montes regioneſque.* Sic hunc locum verto, quem obſcurius nonnihil Caſaubonus reddidiſſe videtur. Jam quia Muſæ artium omnium ac literarum deæ, poſt ſuperius allata verba Phædrus ſubjecit, *natum ſe in ipſa prope ſchola.* Parentes quos habuerit, haud conſtat. Saltem quoniam in Thracia editus, Thrax ipſe fuit, minime ſervilis extitiſſe conditionis credi poſſunt, ac ſic caſu potius, quam naſcendi ſorte, factus eſſe ſervus, neque cum P. Pithæo, *libertinum Auguſti*, ſed *libertum* appellari oportere. Cæterum quis ille caſus fuerit, nemini eſt promptum dicere. Niſi fors quis divinare velit ex Suetonio, quando de Octavii Auguſti patre ſcribit cap. 3. *Beſſos ac Thracas magno prælio fudiſſe.* Potuit nimirum eveniſſe tum, ut cum aliis captivus Romam duceretur. Quod ſi quis admittit, primam Phædri ſe extendere ætatem ad Julium neceſſe eſt, quando memoratum bellum geſtum eo tempore, quo Cæſar ſolus geſſit conſulatum; atque Q. Cicero Aſiam adminiſtravit. Nec fortaſſe multum obſtat huic ſententiæ, cum præſertim ſenectutis ſuæ paſſim Phædrus ipſe mentionem faciat temporibus Sejani. Ingenium videtur habuiſſe probitatis atque honeſtatis amans, oſtenduntque tot egregiæ ſententiæ, quæ in hoc opuſculo occurrunt. Quinimo & alios juxta ſecum ad virtutis cultum incitare ſtuduit, ut palam in Præfat. lib. II. oſtendit. Pertinet huc quoque, quod eodem libro habet de ardelionum natione, multo labore nihil agente:

Hanc emendare, ſi tamen poſſum, volo.

Nec

Nec interea morosus fuisse credi potest, sed jucundus, hilarisque, ut potissimum ex lib. IV. cap. 13. & 14. item cap. 16. liquet. Opes & pecunias alto generosoque animo contempsit semper, ut de se testatur ipse lib. III. præf. ubi *curam habendi penitus corde erasisse* scribit. Maxime vero hoc egit, cum videret, quam multis exitiales essent suo tempore pecuniæ. Id quod innuit lib. 5. fab. 4. ubi ait, post allatam fabulam de asino, detrectante hordei comedere reliquias, quo saginatus porcus, Herculi deinde immolatus fuit:

Hujus respectu fabulæ deterritus
Periculosum semper vitavi lucrum.

Et profecto tunc opulentissimum quemque à Tiberio variis criminationibus circumveniri solitum non ipse modo docet in sequentibus, sed & exemplis à Suetonio cap. 19. & Tacito VI. An. c. 19. aliisque locis allatis comprobatur. Quemadmodum vero negligens fuit opum, ita ex adverso gloriam sectatus est, eam maxime, quæ est ex litteris doctrinaque. Ideo & de obtenta ea tantum non triumphat, in præf. lib. III. ubi ait:

Ergo hinc abesto livor, ne frustra gemas,
Quoniam mihi solennis debetur gloria.

Sic ab initio lib. V. *Mihi parta laus est.* Quin imo tam præclare de se sentit, ut & aliis famam nominis ac immortalitatem dare posse scriptis crediderit. Inde ad Particulonem lib. V.

Particulo chartis nomen victurum meis.

Litteras autem ipsas magno animi ardore est aggressus, & in illis eam partem maxime, quæ poësis appellatur. Liquet vel ex eo, quia puerum se etiam tractasse Ennium fatetur, & ex eo versum citat lib. IV. circa finem, ubi Ennium intelligit, cum ait:

Ego quondam legi quam puer sententiam;
Palam mutire plebejo piaculum est;
Dum sanitas constabit, pulcre meminero.

Atque hinc fortasse factum, ut Æsopi fabulas versu potius, quam ora-

tione prosa comprehenderet; de quibus amplius nunc aliquid dicendum. Scripsisse eas in ætate ultima ipse innuit non uno loco, pertinetque huc potissimum postrema, quæ in libro quinto est, fabella. Quin & tempus potest colligi quodammodo ex libri tertii procœmio, quo videlicet Sejanus pro arbitrio cuncta gessit sub Tiberio, suamque latissime potentiam exercuit. Ubi simul etiam causa scripti hujus aperitur. Calamitas nimirum certa & peculiaris, in quam odio & persecutione Sejani præcipitatus, fortunam, quia non licebat aperte, ob potentem adversarium, occulte saltem, & sub involucris fabularum exponere, depingendoque mores ejus & flagitia, velut ultionem sumere de ipso, seque consolari sic suscepit. Ita enim est intelligendus locus totus, qui occurrit in prædicto procœmio.

-----Servitus obnoxia
Quia, quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit jocis:
Ego porro illius semita feci viam,
Et cogitavi plura, quam reliquerat;
In calamitatem deligens quædam meam.

Secutus in plerisque est Æsopum, nisi quod interdum etiam historias admisceat, ut ex lib. III. cap. 10. & lib. 5. cap. 1. intelligitur. Sed & ex illis ipsis Æsopi, non omnino omnes, verum cum delectu eas saltem, scribere suscepit, quæ servirent instituto, id est, vel Sejanum tacite arguerent, vel calamitatem propriam declararent. Ita statim ab initio affert fabulam de lupo & agno, quorum ille Sejani, hic Phædri speciem exhibere debet. Igitur & sic concludit eam:

Hæc propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

Quibus verbis manifeste sortem suam deplorat; & Sejani crudelitatem significat. Nec fortassis aliud quid altera respexit fabula, quam ut hydro ingenium Sejani, quodque ipse animabat veluti, Tiberii exprimeret, eique opponeret patientiam, humanitatem, bonitatem Augusti, sub

ſub quo primum vixerat. Sed & tertia quartaque manifeſtum continent augurium de futuro Sejani caſu: quem haud ſecus ac graculum omnes ob faſtum intolerabilem olim eſſent deplumaturi. Quod ſi eveniet, ſimilem vult futurum cani, qui dum captat alia, ea etiam, quæ poſſidet, amittat. Nec fefellit Phædrum iſta præſagitio, uti ex hiſtoria Sejani manifeſtum eſt. Verum iſtæc obiter, & tantum, ut oſtendam cauſas & occaſiones harum fabularum. Quas intelliget etiam in cæteris, qui conferre iſta tempora cum iis volet. Nam cohærent inter ſe pulcerrime, hocque fine ſunt ab eo ſelectæ, ſicut ipſe lib. III. cap. 12. & IV. in procemio indigitat. Scripſit porro has fabellas ſtylo longe optimo ac Latiniſſimo, ut plerique docti tradiderunt, quod ex teſtimoniis ipſorum alibi propoſitis apparet. Nam quod Schoppius in eo neſcio quid barbari ac Thracici ſubodoratur, id plane eſt ejuſmodi, quale ejus, qui in Tito Livio deprehendit Patavinitatem. Itaque hucuſque nemini ex doctioribus ſuam approbare potuit ſententiam, nec credo umquam approbabit. Nos, qui & ipſi ſemel iterumque, ac cum cura Noſtrum legimus, adeo nil invenimus iſtiuſmodi, ut in pleriſque Virgilium, in cæteris Plautum, Terentium, Ovidium imitatum eſſe opinemur, nec fallacibus argumentis exempliſque in notis noſtris demonſtremus. Denique ipſe longe aliter, quam Schoppius, de his ad Particulonem,

---Chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris.

Quaſi diceret, ſe ita ſcripſiſſe has fabellas, ut ſi modo ullum pretium manebit ſermonis Latini, propter eum in auctoritate ac exiſtimatione ſint futuræ. Nec ipſius ſolum fuit hoc judicium, ſed Particulonis etiam, & aliorum, quippe qui & verba formulaſque ejus ex libellis hiſce ediſcebant, ſcriptiſque inſerebant ſuis. Noſter manifeſte in præf. V.

Mihi parta laus eſt, quod tu, quod ſimiles tui
Veſtras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicatis memoria.

Quanquam autem tanti fuerint æſtimati hi libelli, vivo etiam adhuc

auctore, tamen non magis ipſi, quam vulgo ſolent aliorum, evitare invidiam potuerunt. Alii habere quædam fatebantur bona, ſed ea ex Æſopo mutuo accepta, cætera ut excogitata ſint à Phædro, ita mala eſſe ac inepta. Vide cap. 20. lib. IV. Alii cum nil poſſent aliud, brevitatem & obſcuritatem earum accuſabant. Indicat id ipſe lib. III. cap. 10. ubi ait:

Hæc exſecutus ſum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quoſdam offendimus.

Erant &, qui argumenti vilitatem, & humilitatem ſtyli ac orationis arguerent, ſicuti ex lib. III. cap. 16. toto intelligitur. Denique qui nil horum audebant, vindicabant ſibi, quod inventum erat à Phædro, invidia gloriæ alienæ. Hoc enim voluit toto cap. 13. lib. III. ut vel ex concluſione ejus liquet. Libellum primum, & ſecundum edidit ſine dedicatione, cum nuda præfatione ad lectorem qualemcunque, eam ſecutus cauſam, quam in præcedentibus prodidimus. Invenerunt ſtatim amatores, interque alios Eutychum: cui propterea, & quoniam ad ſupplicium tractus fuit interim Sejanus, libellum tertium, & quemadmodum conjicio, quartum: itemque Particulonem, cui libellum quintum dedicavit. Eutychus vero ille ac Particulo qui fuerint, haud facile eſt dicere. Facit ipſe noſter alterum gravibus crebriſque negotiis occupatum, & potentem. Itaque & opem ejus contra æmulos ac inimicos, potiſſimum vero calamitatem, in quam innocens invidia Sejani venerat, implorat. Ac fortaſſe fuit quiſpiam ex libertis in Tiberiana aula, nam in talem convenit potiſſimum ſermonis peregrini nomen. Fortuna Phædri reliqua quæ fuerit, nonnihil patet ex ſuperioribus. Primum in ætate puerili captus, Romamque ex Thracia deportatus, ibique ab hero ſuo, quocunque denique, ad conſuetudinem illorum temporum, litteris imbutus fuiſſe videtur. In quibus cum non parum profeciſſet, accidit forte, ut in domum Auguſti, vehementer doctos homines amantis, vocaretur. Ubi cum probaſſet ſuam fidem, elegantiam ingenii, morum probitatem, paulo poſt manumiſſus ac libertate donatus eſt. Id quod indicat vel titulus opuſculi, in quo LIBERTUS CÆSAR. AUGUSTI nominatur. Quem qui de Tiberio accipiunt, ut fit à

Demſtero,

Demſtero, & nonnullis aliis, mihi equidem haud ſatisfaciunt. Et mecum ſentiunt ex eruditis plurimi, quos inter eſt Septimius Florens quoque. Mox Auguſto defuncto, & Tiberio imperium adminiſtrante incidit in calamitatem magnam, nulla ſua culpa, ſicut aliquoties teſtatur, verum odio Sejani, qui eum fictis criminibus accuſaverat juxta, &, ut fuit potentiſſimus, damnari fecerat. Ita enim docent verba ejus, quæ leguntur in præf. lib. III. Nec fortaſſis tam obſcuri tituli ſunt criminationis ejus, ut videntur, ſi bene reputamus, quod verſatus fuerit in domo Auguſti, ab ipſo clementer habitus, in libertatem reſtitutus. Id enim abſque dubio fuit cauſa, cur Auguſtum primo, & mox eo defuncto poſteros illius amaret coleretque. Quos inter cum extiterit primum Agrippa, & deinde Germanicus, non potuit profecto deeſſe ratio Sejano criminandi noſtrum apud invidentem atque ſuſpicacem principem Tiberium. Tulit autem hanc calamitatem magno animo, & remedium adverſus eam petiit ex litteris. Nec defuerunt amici, qui eum ſolarentur, & promitterent ſuam opem. Inter quos Eutychus præcipue, quem propterea ad ſolvenda promiſſa fine lib. IV. ſedulo adhortatur. Quando diem ſuum obierit, ignotum eſt. Saltem poſt Sejanum vixit, quod apparet ex iis, quæ de ipſo tradit. Nec enim veriſimile, fuiſſe ſcripturum vivo Sejano talia, cum & poſt obitum illius extiterint, qui hominem metuerent. Periit porro Sejanus anno Tiberii decimo octavo, à quo ad conſulatum Julii ſolitarium, quo Romam veniſſe Noſter videtur, anni circiter ſunt ſeptuaginta, ut ſeptuageſimum ſuperaſſe annum ætate ſua ſit neceſſe, ac propterea nec videri poſſit mirum, toties de ſenectute ſua conqueri.



DE ÆTATE PHÆDRI,

Ex Gerar. Jo. Voſſio de Poëtis Latinis.

SUb Tiberio vixit Phædrus Thrax, Auguſti Cæſaris libertus, ut qui ſe Auguſtum dicat vidiſſe jus dicentem, & Bathyllum Cilnii Mœcenatis ſaltantem. Reliquit quinque libros fabularum Æſopicarum, jambicis conſcriptos. Antiquiſſimus, qui earum meminit, eſt Avienus, præfatione in fabulas Æſopicas ad Theodoſium Macrobium. Nec mirum adeo non meminiſſe Senecam, ubi loquitur de fabularum Æſopicarum ſcriptoribus. Nam de Romanis loquitur: hic ſe Thracem prædicat.

Ex eodem de Arte Grammatica.

Non eſt Phædrus ille Auguſtæi ævi, ut multi arbitrantur: vel multa ſaltem ſunt a ſequiori ætate.

Operae pretium eſt videre, quo pacto huic Voſſii Judicio adverſetur Chr. Waſius Anglus in Senario, pag. 31.

Vehementer autumat (Voſſius) *Phædrum hunc Auguſtæi ævi poëtam non fuiſſe: ſuper quo, cur ab ipſo diſſentiam præter illa quæ ab aliis argumenta ſatis valida ſunt allata, rem extra dubium ponere videtur, quod partem operis hujus Eutycho jam ſenior inſcribat, qui Eutychus, teſte Joſepho Antiquit. l. 19. c. 3. Praſinus auriga opibus & gratia in aula C. Caligulæ florebat: etiam in ſacris ſtabulis ædificandis (& magna tum ardebant Circenſium certaminum ſtudia) operum curæ præfectus. Cauti enim & circumſpecti judicis erat ſententiam ampliare, ne fides teſtimonium præcurreret.*



JUDICIA ET TESTIMONIA DE PHÆDRO.

Joannes Cardinal. Bona in Notitia Auctorum.

PHædrus Thrax, Auguſti Cæſaris libertus, fabularum, quas, ut ipſe ait lib. v. auctoritatis gratia Æſopias nuncupavit, libros quinque conſcripſit Iambicis verſibus cultiſſimis & elegantiſſimis.

Thomas Reineſius Eponymol. inedit.

Phædrus Thrax, Auguſti Lib. fabulas Æſopi pulcerrimis verſibus Latinis reddidit.

Jacobus Bidermannus è Soc. Jeſu Utopiæ lib. 1. *pag.* 3.

Phædrum horis ſubſecivis per proximos priores dies legi, Tiberii principis libertum, doctum cætera ſcriptorem & fabulatorem ſane non inficetum; quique probioris aliquantum indolis, quam hodie pleraque fabularum commenta; aut verius ævi noſtri dedecora: in quibus legendis præter bonas horas, morum quoque animorumque diſpendium eſt.

Jo. Pricæus notis in Apuleji Apologiam pag. 18.

Phædrus lepidiſſimus Fabularum Scriptor.

Caſpar Barthius Adverſar. l. XXX. *c.* 22.

Ingenuas Phædri fabulas a prima pueritia in deliciis habui. Et immortali amore prudentiam in tam ſuavibus verbis & fabulis abditam, dignam eſſe quis neget?

Auguſtus Buchnerus in libris de commutata ratione dicendi.

Phædrus elegantiſſimus Fabularum Æſopicarum poëta.

Idem Oration. Tom. 2. *Orat.* 2.

Phædrus elegantiſſimus Fabularum Æſopicarum poëta, libertus Tiberii Cæſaris doctiſſimus.

Idem Epiſt. Tom. 2. *Ep.* 71. *ad Janum Gruterum.*

Phædri elegantes & puriſſimæ Latinitatis, ſic Barthius cenſet, Fa-

bulas

bulas tenerè ſemper amavi. Et quidni? cum illas nemini non eruditorum hactenus in deliciis eſſe viderem.

F. Vavaſſor de ludicra dictione pag. 205.

Phædrum igitur habemus, Auguſti libertum, ſive Octaviani, ſive Tiberii, qui & nomine ipſo hilaritatem præ ſe fert, & profitetur libelli ſui dotem alteram è duabus eſſe, ut riſum moveat, & fictis fabulis jocetur. Idem quam proprie de communibus & quotidianis rebus, quas alii tractarunt ſcriptores nulli, loquitur! quam ſincere & ab omni peregrinitate atque inſolentia remote! quam preſſe, nec moleſte tamen! quam ſolute, nec licenter! quam emendate literateque, ac bene, ut verbo dicam, Latine! In quo genere quid poſſet, & agnovit ipſe & æquales, qui ætate vivebant eadem, cum ejus verba in ſuas chartas transferrent, ſatis declararunt. Memini equidem Jacobum Sirmondum narrare mihi ſolitum, cum Petrus Pithœus hos Phædri Æſopiarum fabularum quinque libros Lutetiæ edidiſſet primum, & ad ſe Romam pro veteri amicitia muneri miſiſſet; percuſſos illico Romanos novitate voluminis, atque, ut gens eſt *emunctæ naris*,

Natura numquam verba cui potuit dare,

ſuſpicari cœpiſſe num quidnam partus iſte recens ac ſuppoſititius eſſet, qui tanto intervallo appareret, tamque delituiſſet diu: veruntamen libro perlecto toto, neminem dubitaſſe, quin ætatem redoleret Auguſti, ac ſummam illam facilitatem ſtili & ſcripturæ, & beatam copiam repræſentaret; tuncque vixiſſet auctor, cum laus bene loquendi temporum potius, quam hominum fuit; ibique etiam apud Cæſarem ſerviſſet, ubi ſedem ac domicilium eruditio collocaſſe videretur; qua in domo filiæ & neptes, intimi & familiares, ſervi & liberti literas egregie didiciſſent. Etenim memoria ſua Phædrus rem memorabilem ait delatam ad centumviros, de qua divus Auguſtus ab iis aſcitus judex, quod ipſi ſatis verum non diſpicerent, judicarit. Alio quodam loco Sejanum male neſcio quid de ſe meritum ſignificat. Unde colligitur hunc Octavii temporibus extitiſſe & Tiberii. Cujus etiam, quantum ſubodorari licet, improbos mores paſſim expreſſit, libidinem, ſumptus, avaritiam, rapi-

rapinas, vulpinam vafritiem, cum leonina feritate & violentia conjunctam. Quare miror vehementer, cur affirmarit Seneca, Æſopios logos eſſe intentatum Romanis ingeniis opus: cum Phædrum hunc haberet, quem opponere poſſet toti Græciæ. Nam quod clariſſima lumina ſuperioris ſæculi duo, Petrus Pithœus & Juſtus Lipſius prodiderunt, vere id à Seneca dictum; quia Phædrus non genere aut ortu Romanus, ſed Thrax, ſicut ipſe teſtatum reliquit, eſſet: minus ea probabilis videtur expoſitio Senecæ. Quaſi vero Romanis ingeniis opus intentatum, ſit quidquam aliud, quam literis nondum illuſtratum nec elaboratum opus: aut comœdia fuerit carmen intactum Romanis, quamvis id ſolus natione Afer Terentius tractaſſet: aut ſi percenſeret Seneca, qui philoſophiam ſcriptores Latine explicaſſent; de eo ſe numero eximeret ipſe; propterea quod natione foret Hiſpanus, patria Cordubenſis. At non exemit Quintilianus, qui quo loco de philoſophis egit Latinis, his illum potiſſimum annumeravit; cum inter oratores, & poëtas, & alios diverſi generis ſcriptores potuiſſet referre. Citius dixerim Senecam vel parum hic attendiſſe, quid ſcriberet: vel iſtud, ut alia, oblitum prorſus, memoriæ vitio peccaſſe. Nam maligne ab eo & invide præteritum Phædrum, quaſi pro nihilo putaret, aut in honore ac pretio nollet eſſe, à cujus munditia & nitore abeſſet tam procul; etſi non alienum videtur crimine, quod ei Quintilianus, & Suetonius, ac Tacitus etiam inferunt: nolim tamen facile, ac nulla ratione manifeſta, de tanto viro credi. Illud veriſimilius, iniquiſſimis Tiberii, Caligulæ, Claudii, Neronis temporibus, cum ſcripta edictis abolerentur & ſenatusconſultis, ſi cui Poëtæ aut hiſtorico verbum excidiſſet opportunum delationi & calumniæ; cum ne liberæ quidem relictæ cogitationes; & opinio tacita de principe, ſicunde vel ex vultu argui poſſet, majeſtatis rea fieret: libellum fabularem, cujus in apologis pleriſque mera illius ſæculi tyrannis notaretur, ſuppreſſum fuiſſe continuo, ac evanuiſſe tandem, & ignoratum à Seneca, & reliquæ poſteritatis oculo ſubductum. Ita fuit tanto theſauro fatale, ut uſque ad ætatem noſtram defoſſus lateret: aut, quemadmodum de ſe auctor futurum præſenſit, ut in ſterquilinio, ſic tanquam margarita pretioſiſſima, jaceret; non quia non intelligeretur, ſed quod ne compareret quidem.

JUDICIA ET TESTIMONIA

Olaus Borrichius in Dissertationibus de Poëtis.

Phædrus Thrax, ævo Tiberii inclaruit, notissimus ob exquisitos illos jambos, quibus fabulas Æsopicas illigavit, libere in mores seculi sui, sed tecte invectus. Hunc qui Oct. Augusti Libertum credunt, non advertunt satis, artes Sejani ab eo attactas, quas utique Tiberii imperium aperuit, non Octaviani. Dictio ejus pura est, & emendata, nec indigna quam imitentur Linguæ Latinæ candidati.

Idem de variis Linguæ Latinæ ætatibus.

Subrogati Atlantes alii, & ipsi fortes fidique, qui antiquam gloriam ita sustinuere, ut in illis vel nihil, vel parum aut peregrinitatis, aut invisi senii internoscas: Paterculum designo, Curtium, Celsum, *Phædrum* &c.

Daniel Georgius Morhofius in libro de Patav. Livian. pag. 158.

Phædrus Augusti vel Tiberii libertus, gente Thrax, Æsopi Fabulas Latinis versiculis descripsit adeo nitidis & limatis, ut nil Romanius dici scribique possit.

Idem Polyhistor. part. II. *pag.* 61.

Ne fabulas quidem ipsas hic excipimus, estque eo in genere nihil Phædri fabulis elegantius.

Joann. Petr. Titius Manuduction. ad excerpendum.

Esse sane Phædri Fabulas maximi pretii, vel ex eo intelligi potest, quod tam multi tanti nominis viri illustrare eas superiori & nostra ætate dignati sunt.

Christ. Wagenselius in Pera librorum Juvenilium.

Hæsi nonnihil ambiguus, quo maxime antiquo & ingenuo libro, Filium puerum Latinitati initiarem. Cumque nec severitas Epistolarum Ciceronis, nec alius Auctor prolixus, ac in rerum verborumque amplitudinem diffusus, videretur tantillo captui convenire, Quintiliani consilio locum dandum esse mecum statui, qui ætati nondum Rhetorem capienti, Æsopi fabellas, sermone puro, & nihil se supra modum extollen-

tollente, narrare, ac nutricularum fabulis ſubſtituere ſuadet. Quamobrem Phædrum, quo nemo Æſopi Apologos magis ſcite, magiſque diſerte elocutus eſt, Præceptorem filio exponere, & elegantiores expreſſiones ediſcendas committere juſſi. Simul occaſionem ſemper captabam, monendi puerum, quid Æſopus per fabellas quæſiverit, & quantum ad errores mortalium corrigendos eæ faciant; ut ſic mature virtutis & probitatis præceptis teneram mentem imbuerem.

Chriſtoph. Cellarius in Curis poſterioribus de Barbariſmis, &c.

Phædrus, Auguſti Libertus, Tiberio remp. adminiſtrante, Sejani odio, fortuna adverſa conflictatus, ſcripſit politiſſimas Fabulas tum ultioni ſui, tum etiam ſolatio, quod utrumque ex proœmio Lib. III. apparet. Scioppii judicium, qui Infam. pag. 69. in Phædro neſcio quid barbari ſubodoratur, non magis ſe doctis probavit, quam illius, qui in Livio deprehendit Patavinitatem. Principem ergo locum in hoc ſæculo & proximum Poëtis Auguſteis, non tantum temporis ratione, quo vixit; ſed etiam ſtili ornatu, quem Fabulis expreſſit, jure ipſi meritoque adſignamus.

Jo. Albertus Fabricius in Bibliotheca Latina.

Phædrus Thrax, Auguſti Imperatoris Libertus, ſub Tiberio Imperatore verſibus ſenariis ſuaviſſimis expreſſit libros quinque Fabularum Æſopiarum.

Paulus Colomeſius in Animadverſionibus ad Gyraldi Dial. VII. de poëtis, p. 402.

Terſiſſimus ille Fabularum Æſopiarum imitator Phædrus.



PHÆDRI FABULARUM INSCRIPTIONES.

Prior numerus librum, alter fabulam notat.

Æsopus ad Garrulum 3, 19
Æsopus ludens 3, 14
Æsopus & petulans 3, 5
Æsopus & rusticus 3, 3
Anus ad amphoram 3, 1
Anus diligens virum ætatis mediæ, item Puella 2, 2
Apes & fuci, vespa judice 3, 13
Aquila, cornix, & testudo 2, 6
Aquila, feles, & aper 2, 4
Arbores in Deorum tutela 3, 17
Asinus ad senem pastorem 1, 15
Asinus & Galli 3, 20
Asinus & leo venantes 1, 11
Asinus irridens aprum 1, 29

Cæsar ad atriensem 2, 5
Calvus & musca 5, 3
Canes famelici 1, 20
Canes & corcodilus 1, 25
Canis ad agnum 3, 15
Canis & lupus 3, 7
Canis fidelis 1, 23
Canis per fluvium carnem ferens 1, 4
Canis parturiens 1, 19
Canis & thesaurus, & vulturius 1, 27
Canum legati ad Jovem 4, 17
Capellæ & hirci 4, 15
Cervus ad fontem 1, 12
Cervus & boves 2, 8
Cervus & ovis 1, 16
Cicada & noctua 3, 16

Demetrius & Menander 5, 1
Duo calvi 5, 6

Equus

PHÆDRI FABULARUM INSCRIPTIONES.

EQuus & aper 4, 3
Eunuchus ad improbum 3, 11
Ex sutore Medicus 1, 14

FOrmica & musca 4, 23
Frater & soror 3, 8
Fur aram compilans 4, 10

GRaculus superbus & pavo 1, 3
Gubernator & nautæ 4, 16

HOmo & asinus 5, 4
Homo & canis 2, 3
Homo & colubra 4, 18
Homo & arbores . . . . . Appendic. 5

IUvencus, Leo & prædator 2, 1

LEo regnans 4, 12
Leo senex, aper, taurus & asinus 1, 21
Leo & Mus . . . . . Append. 4
Lepores vitæ pertæsi . . . . . Append. 2
Lupus & agnus 1, 1
Lupus & gruis 1, 8
Lupus & vulpis, judice simio 1, 10

MAlas esse divitias 4, 11
Miluus & columbæ 1, 31
Miluus ægrotans . . . . . App. 1
Mons parturiens 4, 22
Muli & latrones 2, 7
Mulier parturiens 1, 18
Musca & mula 3, 6
Mustela & homo 1, 22
Mustela & mures 4, 1

NAufragium Simonidis 4, 21

OCcasio depicta 5, 8
Ovis, canis & lupus 1, 17

Pan-

PHÆDRI FABULARUM INSCRIPTIONES.

Anthera & paſtores 3, 2
Paſſer & lepus 1, 9
Pavo ad Junonem 3, 18
Phædrus 4, 20
Poëta 4, 4. 4, 6. 4, 24
Poëta de credere & non credere 3, 10
Princeps tibicen 5, 7
Prometheus 4, 14
Pugna murium & muſtelarum 4, 5
Pullus ad margaritam 3, 12

Rana rupta & bos 1, 24
Ranæ ad ſolem 1, 6
Ranæ metuentes taurorum prælia 1, 30
Ranæ regem petentes 1, 2

Scurra & ruſticus 5, 5
Simii caput 3, 4
Simonides à diis ſervatus 4, 24
Socrates ad amicos 3, 9

Taurus & vitulus 5, 9

Vacca & capella, ovis & leo 1, 5
Venator & canis 5, 10
Viatores & latro 5, 2
Vipera & lima 4, 7
Vitia hominum 4, 9
Vulpis & aquila 1, 28
Vulpis & ciconia 1, 26
Vulpis & corvus 1, 13
Vulpis & draco 4, 19
Vulpis & hircus 4, 8
Vulpis & uva 4, 2
Vulpis ad perſonam tragicam 1, 7
Vulpis & Jupiter . . . . . *Appendicis* 3

PHÆDRI

PROLOGUS.



LUPUS AGNUS.



FAB. I.

RANÆ REGEM PETIERUNT.



FAB. II.

GRACULUS SUPERBUS PAVO.



FAB. III.

CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.



FAB. IIII.

VACCA CAPELLA OVIS LEO.



FAB. V.



PHÆDRI AUGUSTI LIBERTI FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.



Sopus auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi verſibus ſenariis.
Du-

NOTAE AD PHAEDRUM.

PHAEDRI] Phædri rara apud veteres mentio fit. Sub Auguſto vixit & Tiberio, fuitque Libertus Auguſti.

AUGUSTI LIBERTI] Liberti aliqua ſcientia clari nomen Domini ſui, a quo manumiſſi eſſent, ſemper apud antiquos operibus ſuis præfigebant, eoque ſe gratos erga Dominos reddebant. Liberti autem Cæſaris ſemper in magno erant honore.

ÆSOPIARUM] Omnes fabulæ communiter dictæ Æſopiæ, quoniam in conventibus frequenter fabulis uti ſolebat Æſopus. Theo Sophiſta Αἰσωπείους λόγους dixit, & Aphthonius Αἰσώπειον μῦθον.

AD PROLOGUM.

1. ÆSOPUS] Fabulator e Phrygia, a quo aliorum fabulæ etiam nomen acceperunt. Quo ſpectant Phædri verba prol. lib. v.

Quas Æſopeas, non Æſopi nomino.

AUCTOR] Ordo verborum: *Ego polivi mate-*

Duplex libelli dos eſt: quod riſum movet,
Et quod prudenti vitam conſilio monet.
Calumniari ſi quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum feræ;
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

FAB.

materiam hanc, Æſopus auctor repperit quam, i. e. Æſopus, qui auctor eſt, & primus quaſi conditor materiæ fabularis.

REPPERIT] Excogitavit, diligenti meditatione adinvenit. Sic eſt *repertor Medicinæ* apud Virg. l. 6. Æn. & *repertor pœnæ* apud Ovid. l. 3. Triſt. El. 11. qui & ipſe τῷ *Invenire* ſic utitur in Metam. l. 1.

Inventum Medicina meum eſt.

Plautus Captiv. ipſo fine,

Hujuſmodi paucas poëtæ reperiunt comœdias.

2. POLIVI] Abſolvi, perfeci, & ex Græco in Latinum tranſtuli. Locutio eſt deſumta ab arte fullonica, ſeu a fullonibus, qui poliendo diligenter vetera quæque, ea mutant in novam ſpeciem, & pannis novam formam induunt. Caſpar Barthius, Vir doctiſſimus, deducit a re ædificatoria.

SENARIIS] Jambicis ſenariis, id eſt, trimetris, qui ſunt ſex pedum. Eorum conſtitutio poteſt videri in Proſodia. De libertate autem, qua uſus eſt hic Phædrus noſter, jam locuti ſumus in præfatione.

3. DOS] Metaphora. Nam *dos* proprie dicitur, quod marito cum uxore datur. Sumitur præterea *dos* pro eo, quod alicui datum eſt vel a natura, vel ab hominibus: unde dotes animi dicuntur, & librorum, aliarumque rerum, quæ utilitatem afferunt. Legunt alii vel *mos eſt*, vel *os eſt*. Sed quin *dos* quoque dicatur in ſingulari pro utilitate, fructu, ornamento, nemo dubitabit, qui apud Ovidium legerit *dotem oris* pro eloquentia.

RISUM MOVET] Voluptatem excitat. *Movet.... monet* figura eſt, quæ dicitur ἀνταναάκλασις. Sic lib. 4. Fab. 3.

Impune potius lædi quam dedi alteri.

Et lib. 1. Fab. 4. *Et quem tenebat, nec quem petebat.* Tale quoque eſt Fab. 16. *Rem expedire, ſed videre expetit.*

4. VITAM] Homines vitam degentes.

MONET] Monet ut quiſque degat ex præſcripto honeſti. Hæc ſcilicet Poëtarum laus eſt, quod

Et jucunda ſimul dicant & idonea vitæ.

5. CALUMNIARI] Siniſtre, malitioſe interpretari. *Calumniari* dicitur proprie de calumnioſa lite, & eſt, falſa & callida ratione, cui malevolentia eſt conjuncta, aliquem decipere.

6. ARBORES] Pluſcula Phædri noſtri intercidiſſe jam olim recte conjecerunt Viri docti: quod deinceps probavit Vir Illuſtriſſimus Marquardus Gudius, qui in notis ſuis ad hunc auctorem non ſolum fabulam de Arboribus loquentibus profert, ſed & alias e tenebris eruit. Quas haud ita pridem in lucem editas huic quoque editioni ſubjunximus.

7. FICTIS] Non inepte vox illa *fictis* additur. *Fabula* enim ex earum vocum numero eſt, quæ verum & falſum ſignificant, unde infra legitur, *vera fabella* lib. 2. fab. 5. Et apud Græcos μῦθος pro fabula falſa & vera uſurpatur, inter quos apud Homerum pro vero ſermone ſumitur. Quare proverbium, quod apud Terentium eſt, *Lupus in fabula*, apud Plautum ſic concipitur, *Lupus in Sermone*. Cicero Accuſ. 3. in Verrem c. 78. *Non me fugit, Judices, vetera exempla pro fictis fabulis jam audiri atque haberi.* Sed & idem in de Officiis, & alibi fictas & commentitias fabulas dixit.

JOCARI] Sic *Phædri joci* apud Martialem. Ipſe Phædrus l. 3. prol.

Calumniamque fictis eluſit jocis.

Et lib. 4. f. 6.

Et hoc jocorum legere faſtidis genus.

FAB. I.

LUPUS ET AGNUS.

Ad rivum eundem Lupus & Agnus venerant,
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longeque inferior Agnus: tunc fauce improba
Latro incitatus jurgii causam intulit.
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Istam bibenti? Laniger contra timens,
Quî possum, quæso, facere quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus,

Ante

AD FABULAM I.

1. LUPUS ET AGNUS] Quibus sortito obtigisse discordiam ait Horatius.

2. SUPERIOR] Propius fontem, unde aqua scaturiebat.

3. INFERIOR] Remotius a fonte.

4. LATRO] Lupus ita dictus, quia latrociniis & ferarum dilaniationibus gaudet. Virgil. *raptorem* nominavit. Sic noster infra *raptorem* miluum, *calumniatorem* canem vocat.

JURGII CAUSAM] *Jurgii causa* est pro jurgio, ut *res cibi* infra pro cibo. Sic *res voluptatum* apud Plaut: pro voluptatibus. *Inferre jurgium*, dicitur ut inferre litem apud Ciceronem. Hoc vult, lupum aliquam causam vel prætextum commentum esse, ut agno jurgium inferret.

INTULIT] Movit materiam rixæ: rixam affectavit.

6. ISTAM] Aquam nempe, demonstrative. Sic loquebantur veteres. Ter. Heaut. 3. 1. *Lucescit hoc jam. Hoc* ita sumtum cœlum significat.

BIBENTI] Quasi diceret, nunc maxime, cum videres me bibere. Debuisses saltem exspectare, donec bibissem.

LANIGER] Agnus, quod lanam gerat. Ita solent loqui poëtæ. Avienus *auritus* dixit pro lepore. Sic noster *auritulus* etiam pro asino, *latrans* pro cane, *barbatus* pro hirco. Apud alios *cornuti* vel *mugientes* est pro bobus: *volantes*, pro avibus: *balantes* pro ovibus: *natantes*, vel *squamigeri* pro piscibus. Quæ omnia longum esset recensere.

7. QUI POSSUM] Quo pacto ego aquam tibi turbulentam reddere possum?

QUOD QUERERIS] Queri aliquam rem dicitur, cum aliquo, de aliquo, & apud aliquem. Vid. Schorum in voce *Queror*.

8. AD MEOS HAUSTUS] Ad me haurientem.

9. VIRIBUS] Vi, efficacia, robore veritatis, quæ se sola satis absque testimonio alieno tuetur.

Ante hos ſex menſes male, ait, dixiſti mihi.
Reſpondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injuſta nece.
Hæc propter illos ſcripta eſt homines fabula,
Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

10. HOS] Hos proxime præcedentes. Ad eundem modum Terent. Eun. 2. 3. 39.

Illum, liquet mihi dejerare, his menſibus
Sex ſeptem prorſum non vidiſſe proximis.

MALE, AIT, DIXISTI] Tmeſis elegans. Catullus Epigr. XCIII.

Lesbia mi dicit ſemper male, nec tacet umquam
De me.

Et ſic frequenter apud alios poëtas. Ter. Andr. 1. 1. 36.

Cum quibus erat cumque una.

Virg. 1. Æneid.

Arida circum
Nutrimenta dedit.

Noſter lib. 1. Fab. 27. *Quem ſtans Vulturius ſuper*, pro, *cui ſuperſtans*. Sic & *benedicere* modo conjunctim uſurpatur, modo diviſim. Plaut. *Bene quæſo inter eos dicite, & mi abſenti tamen.* Cæterum *maledicere* eſt convitiis injuriam facere.

11. NATUS NON ERAM] Ante ſex menſes nondum eram natus.

12. HERCULE] Formula jurandi per Herculem, viris tantum, non fœminis conveniens. Ita vult Gellius: Sed eam legem transgreditur Apulejus, Scriptor profecto non vilis. Qui & initio Apologiæ ſuæ habet, quæ facere huc poſſunt.

13. ATQUE ITA CORREPTUM] Sic & finit hanc fabulam Camerarius. Quem vide fab. 174.

INJUSTA NECE] Nece aliquem perire dicitur de eo, qui ſine vulnere interfectus aut fame, aut veneno perit, ut docet Feſtus in *Necidatus*. Verum Phædrus hoc loco tamen uſus eſt hac voce, ut & cædem & vulnus ſignificet.

15. FICTIS] *Illatis*, ſupra vers 4. Eſt autem Ellipſis præpoſitionis *de*; pro *fictis de cauſis*, i. e. fictas ob cauſas, ut ſæpiſſime. *Cauſas fingere* autem eſt contra veritatem aliquid ſimulare.

CAUSIS] Cauſæ hic ſunt crimina.

FAB. II.

RANÆ REGEM PETENTES.

ATHENAE cum florerent æquis legibus, Pro-

AD FAB. II.

1. ATHENAE] Urbs erat Græciæ ſpectatiſſima, & magni nominis, utpote quæ erat ſedes potentiſſimæ Reip. ac præſtantiſſimarum quarumque artium parens. Hic pro Athenienſibus per Metonymiam.

FLORERENT] Clareſcerent. *Florere* eſt hic elegans verbum ad indicandum ſtatus publici vigorem, probitatem, pulcritudinem; quæ ſalva eſſe non poſſunt fractis legibus. Senſus itaque eſt, cum Athenarum Reſp. eſſet libera.

ÆQUIS] A Solone ſapiente latis, quibus cives erant æquales, & æquali jure continebantur, ut in Democratia ſolet fieri.

LEGIBUS] Hoc Reip. magis convenit, quam imperio Regio. Nam apud Reges, arbitria principum pro legibus ſunt, ut eſt in Juſtino 1. 2.

Procax libertas civitatem miſcuit.
Frenumque ſolvit priſtinum licentia.
Hinc conſpiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Piſiſtratus.
Quum triſtem ſervitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, ſed quoniam grave
Omne inſuëtis onus, & cœpiſſent queri;
Æſopus talem tum fabellam rettulit.
¶ Ranæ vagantes liberis paludibus,
Clamore magno regem petiere à Jove.
Pater Deorum riſit, atque illis dedit

Par-

2. PROCAX] Petax. Talis enim libertas non contenta ſuo ac præſenti, ſemper plura expetit, & aliena, nec umquam ſatiatur.

CIVITATEM] Cives.

MISCUIT] *Miſcere* recte uſurpatur de mixtura partium inconvenienti per turbas & ſeditiones. Valet ergo, Remp. conturbavit. Nepos Pauſania, *Plurima miſcere cœpit*, i. e. ſeditioſe moliri. Livius l. 35. *Ætoli agitandum aliquid miſcendumque rati.*

3. FRENUMQUE SOLVIT] Metaphorica locutio. Contrarium eſt impediri freno, hoc eſt coërceri.

LICENTIA] Intelligit immodicum libertatis uſum ad impunitatem eorum etiam, quæ iniqua ſunt & inhoneſta.

4. CONSPIRATIS] Paſſive ſumitur & intelligitur de iis, qui in unum collecti & conflati ſunt. Vid. Voſſ. de Arte Gramm. l. 4. c. 13. Nam *conſpirare* proprie eſt in ſpiram colligere, Metaphora ducta a ſerpentibus, qui in ſpiram & circulum ſe concludunt. Atque ita & pro conſentire ſumitur.

5. ARCEM] Non tantum ἀκρόπολιν, ſed Remp. invadebat. *Arx* igitur hoc loco ſignificat dominationem, per Metonymiam. Scilicet quod qui Remp. tyrannus invadebat, ante omnia arcem occuparet; hinc factum eſt ut arcem occupare pro rempp. invadere dixerint.

TYRANNUS] In bonam partem quandoque vox iſta ſumitur pro Rege, qui figit leges & populis juſte præeſt. Plerumque vero ad illos principes refertur, qui libidine dominandi duro imperio ſibi ſubditos tenent; ut hoc loco Phædri.

PISISTRATUS] Hippocratis fuit filius, qui ex cive privato Athenis ſummam poteſtatem invaſerat. Vid. Juſt. 2. 8. 6.

6. TRISTEM] Gravem. Sic Fab. 3. vers 11.
A quo repulſæ triſtem ſuſtinuit notam.

ATTICI] Athenienſes.

8. COEPISSENT QUERI] Queſti eſſent. Sic infra hac fab. *Corripere cœpit ſingulas.* Et fab. 3. vers 10.
Redire mœrens cœpit ad proprium genus.

10. RANAE] Refert ex Æſopo hanc fabulam Servius ad Virg. 1. Georg. vers 378.
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.
Sic & poſt Servium Taubmannus. Quos vide.

LIBERIS] In liberis. Ellipſis. Liberæ paludes appellantur hic, alluſione quapiam ad liberas civitates, eæ, in quas nemo habet imperium, & ubi quiſque pari cum cæteris jure vivit.

12. PATER] Quem modo *Jovem* dixit, ſummum apud eas gentes Deum.

Parvum tigillum, miſſum quod ſubito vadi
Motu ſonoque terruit pavidum genus.
Hoc merſum limo quum jaceret diutius,
Forte una tacite profert e ſtagno caput,
Et explorato rege cunctas evocat.
Illæ timore poſito certatim adnatant,
Tignumque ſupra turba petulans inſilit:
Quod quum inquinaſſent omni contumelia,
Alium rogantes regem miſere ad Jovem,
Qui diſſolutos mores vi compeſceret,
Inutilis quoniam eſſet qui fuerat datus.
Tum miſit illis Hydrum, qui dente aſpero
Corripere cœpit ſingulas. Fruſtra necem
Fugitant inertes; vocem præcludit metus.

13. PARVUM TIGILLUM] Ut rem minimam minorem faceret, addidit parvum. Ita Terent. in Andr. *minutos* dixit *piſciculos*, & Cæſar *parvam naviculam*. Gellius quoque, *aviculam parvulam*.

MISSUM] Subito conjectum in ſtagna ſeu aquas paludis.

VADI] Tigillum ſubito delapſum commovit aquas, & in iis edidit ſonum, atque ita ranas terruit motu vadi.

14. MOTU SONOQUE] Motu ſonoro.

15. MERSUM] Demerſum.

LIMO] Vadi ſcil.

17. EXPLORATO] Cum cura inſpecto & examinato.

REGE] Ligneo ſc.

18. POSITO] Depoſito.

20. OMNI] Omnis generis, verborum ſc. & rerum.

CONTUMELIA] Cum contumelioſe in id conſpuiſſent & concacaſſent.

21. MISERE] Ablegârunt aliquas, quæ hanc petitionem earum deferrent ad Jovem.

22. DISSOLUTOS] Laxos. Sic *mores ſoluti* ap. Juſt. 3. 3. 10.

VI] Pro poteſtate atque imperio. Hunc verum eſſe hujus verſus locum vidit primus Rigaltius, quem ſecutus eſt Barthius: quorum ſententiam in textu conſtituendo non veriti ſumus amplecti.

23. INUTILIS] Invalidus, impotens, qui uſui ipſis eſſe non poſſet.

24. TUM MISIT] Sic fere Camerarius, quem vide Fab. 201.

ASPERO] Serrato.

25. CORRIPERE] Fab. 1.

Atque ita correptum lacerat injuſta nece.

Ibi de lupo, hic proprie de ſerpente. Propert. l. 3.

Ille ſibi admotas a virgine corripit eſcas.

Singulas corripere id eſt omnes devorare.

26. INERTES] Invalidæ, imbelles.

VOCEM] Ter. Eun. 5. 6. 7. *Lingua hæret metu.*

Fur-

Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem
Adflictis ut ſuccurrat. Tunc contra Deus;
Quia noluiſtis veſtrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoque, ô cives, ait,
Hoc ſuſtinete, majus ne eveniat malum.

metu. Noſter infra f. 23. *linguam præcludere.* Virg. 3. Æn. vers 48.

Vox faucibus hæſit.

27. FURTIM] Occulte, ne intelligere hydrus poſſit, ac veluti rebelles ac cupidos rerum novarum ſupplicio afficere.

MERCURIO] Jovis & Majæ filio, deorum legato. Recte ergo ranæ Mercurio dant mandata ad Jovem.

28. DEUS] Jupiter, pater deorum.

29. BONUM] Intelligi poteſt neutraliter, vel in maſculino; ſc. regem.

30. AIT] Æſopus videlicet ad Athenienſes.

FAB. III.

GRACULUS SUPERBUS ET PAVO.

NE gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Æſopus nobis hoc exemplum prodidit.
¶ Tumens inani Graculus ſuperbia,
Pennas, Pavoni quæ deciderant, ſuſtulit,
Seque exornavit: deinde contemnens ſuos,
Formoſo ſe pavonum immiſcuit gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,

Fugant-

AD FAB. III.

1. LIBEAT] Abſolute, pro ne quis ſit, cui lubitum ſit, qui velit hoc facere.

2. HABITU] Habitus deſignat hic ſtatum, ſeu vivendi ordinem & modum.

3. ÆSOPUS NOBIS] Neſcio quomodo magis placet, *Nobis Æſopus* &c. Videant, qui habent aures poëticas.

4. TUMENS] Hinc natum proverbium, *alienis plumis ſe exornare.* Horatius Epiſtol. lib. 1. Ep. 3.

Ne, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum
Furtivis nudata coloribus.

9. MALE

Fugantque roſtris. Male mulcatus Graculus
Redire mœrens cœpit ad proprium genus;
A quo repulſæ triſtem ſuſtinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius deſpexerat:
Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus,
Et quod natura dederat voluiſſes pati,
Nec illam expertus eſſes contumeliam,
Nec hanc repulſam tua ſentiret calamitas.

9. MALE MULCATUS] Contumelioſe exceptus. Terent. Eun. 4. 7. 4. *Male mulcabo ipſam.*

10. REDIRE] Reverſus eſt, rediit.

AD PROPRIUM GENUS] Ad ſuum ordinem, ad ſui generis aves.

11. REPULSAE] Ita legit Jac. Tollius, cui non poſſumus non aſſentiri, præcipue cum non refragentur ductus literarum. *Repulſæ* enim facile abire potuit in *repulſus*: quod ſi retineatur, nihil opus eſt addi *triſtem notam*. Significantius multo *nota repulſæ*; quod & confirmatur verſu ultimo, ubi eadem vox,

Nec hanc repulſam tua ſentiret calamitas.

TRISTEM] Gravem. Sic Fab. 2.

SUSTINUIT] Suſtulit, pati coactus fuit. Graculi reliqui eum variis & acerbis contumeliis proſciderunt.

NOTAM] Ignominiam. Locutio eſt deducta a notis cenſorum, quia cenſores olim luſtrabant omnium civium vitas. Si jam alicujus vitam parum honeſtam inveniebant, ad nomen ejus notam faciebant. Hinc quia nota hæc ſignum erat infamiæ, nota pro ipſa infamia poſita eſt. Inde eſt, notam alicui inurere, pro infamare.

14. PATI] Contentus eſſe eo, quod natura dederat.

16. CALAMITAS] Tu jam calamitoſus, ſeu calamitatem paſſus. Sic Fab. 5. *Improbitas* ſumitur pro improbo.

FAB. IV.

CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS

AMITTIT merito proprium, qui alienum adpetit.

¶ Canis, per flumen carnem dum ferret natans, Lym-

AD FAB. IV.

1. PROPRIUM] Bonum, vel ſimile quid.

2. CANIS] Tale exemplum videri poteſt in Perdicca, duas ſimul uxores quærente: unde neutram obtinuit. Adi Juſtinum l. 13. c. 6. Et vide quid idem referat de Demetrio Syriæ rege. Huc quoque pertinet fabula de Camelo, qui cornua affectans, etiam aures perdidit. Sed & Cures (ut ad hiſtorias revertamur) Pacinacorum princeps Moſcorum ducem Stoſlaum inſidiis exceptum interfecit, & ex cranio ejus poculum fieri

Lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum:
Aliamque prædam ab alio ferri putans,
Eripere voluit: verum decepta aviditas,
Et, quem tenebat ore, demiſit cibum,
Nec quem petebat adeo potuit adtingere.

fieri curavit, cui hæc verba inſcripta fuere: QUÆRENDO ALIENA, PROPRIA AMISIT. Vid. & Camerar. fab. 171. & Faërnum Edition. Amſtel. p. 105.

3. LYMPHARUM] Aquarum imagines repræſentantium.

SIMULACRUM] Umbram, effigiem.

4 ALIAMQUE] Si verſus ſic conſtituatur, *m* in *prædam* non eliditur. Nec video, cur ſit ſollicitandus, cum vetuſtiſſimi poëtæ ita fecerint. Ennius x Ann.

Inſignita fere tum millia militum octo.

Et ſic alii.

5. ERIPERE] Scilicet, illi alii. Ellipſis notanda, quia caſus alius ſubaudiendus, quam qui præcedit. Ita ſupra:

Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque roſtris.

ſc. avem, non avi, quod præceſſit.

DECEPTA] Canis aviditate deceptus. Metonymia.

6. ORE DEMISIT] Idem eſt, ac miſit de ore. Sivit cadere eſcam, quam portabat.

7. NEC QUEM] Multi, etiam elegantis ingenii homines, non vident dimenſionem hujus verſus. Mihi res plana videtur, ſi tertia ſede ſit anapæſtus. Nempe in voce *adeo* Synecphoneſis eſt vel Synizeſis: qualis in Virgiliano verſu

Seu lento fuerint alvearia vimine texta.

ubi *alvearia* quatuor eſt ſyllabarum. Ita apud eundem *eodem* vox eſt diſyllaba,

Uno eodemque tulit partu, paribuſque revinxit
Serpentum ſpiris.

Adeo ut non audiamus hic Barthium putantem *potuit* eſſe diſyllabum.

F A B. V.

VACCA ET CAPELLA, OVIS ET LEO.

NUMQUAM eſt fidelis cum potente ſocietas.
Teſtatur hæc fabella propoſitum meum.
¶ Vacca & Capella & patiens Ovis injuriæ,
Socii fuere cum Leone in ſaltibus.

Hi

AD FABULAM V.

1. NUMQUAM] Vid. Faërni fab. p. 4. & quæ congeſſit Axenius. Et ſi exempla cupis, quæ ex uſu ſint, adi Mich. Piccartum Decad. 13. cap. 9.

2. PROPOSITUM] Propoſitionem: ut enunciatio & enunciatum idem valent.

3. PATIENS] *Patiens injuriæ* & *patiens injuriam* ſic diſtinguunt Grammatici, ut *patiens injuriam* ſit, qui jam patitur, *patiens injuriæ*, qui pati adſuevit. Vid. Voſſ. de Arte Gramm. lib. 7. c. 9.

4. SALTIBUS] Locis venationi aptis: in quibus paſcuntur feræ.

Hi quum cepiſſent cervum vaſti corporis,
Sic eſt locutus partibus factis Leo:
Ego primam tollo, nominor quia Leo;
Secundam, quia ſum fortis, tribuetis mihi:
Tum, quia plus valeo, me ſequetur tertia:
Malo adfligetur, ſi quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam ſola improbitas abſtulit.

5. VASTI CORPORIS] Cervum ingentis magnitudinis.

6. PARTIBUS FACTIS] Portionibus diviſis.

7. NOMINOR QUIA LEO] Temere producitur ultima in *quia*, quæ natura brevis eſt. quam Phædri licentiam mirari ſubit. Corripit certe mox bis,

Secundam, quia ſum fortis, tribuetis mihi:

&

Tum, quia plus valeo, me ſequetur tertia.

Sic & hujus libri fab. II.

Non quia crudelis ille, ſed quoniam grave.

Iterum Fab. XXII.

Nunc quia laboras ut fruaris reliquiis.

Lib. 2. fab. VIII.

Et quia corruptos viderat nuper boves.

Lib. 3. fab. X.

Hippolytus obiit, quia novercæ creditum eſt;
Caſſandræ quia non creditum eſt, ruit Ilium.

Illuſtriſſimus Gudius ut verſui tam fœde contra auctoris morem luxato opem ferat, multa molitur, quæ videri merentur.

9. PLUS VALEO] Valentior ſum cæteris feris.

ME SEQUETUR] Mea erit. Res ſequi nos dicitur ad nos pertinens, quæ nullo labore aut moleſtia noſtra ſeſe voluntati noſtræ ſit accommodatura. Ita exponit Barthius hanc loquendi formulam, & credit tranſlatam eſſe a materia qualibet facili tractatu, non lenta aut moroſa, quomodo Cœcilius dixerit de cera, eam *facilem ſequi digitos*, & Lucanus *ſequi ſolem*. Sed & in malam partem ſumit Seneca Hippolyto,

Caſtos ſequitur
Mala paupertas.

10. MALO] Damno, pœna. Male mulcabitur. Sic enim ſupra locutus eſt Fab. 3.

11. PRÆDAM] Proprie de eo, quod venatione capitur.

IMPROBITAS] Sic præcedenti fabula eſt *aviditas*. Metonymia. Improbitas porro eſt nimietas, ut ſic dicam, & inſatiabilitas cupiditatis. Confer Fab. Faërni p. 5. & Camerarii Fab. 190.

FAB. VI.

RANÆ AD SOLEM.

VICINI furis celebres vidit nuptias
Æſo-

AD FAB. VI.

1. VICINI] Illud *vicini* dicitur reſpectu ad Æſopum, cujus erat vicinus, & ob furta infamis.

CELEBRES] Ad quas multi convivæ & vocati erant & convenerant. Nam *celebres* ſignificat *celebratas*, i. e. frequentatas. Et *celebrare* eſt frequenter adire. Sic *celebris via*, quæ frequenter a multis teritur & frequentatur, & *celebris locus*, pro quo & *celebritas*.

2. CON-













J. B. Vianen del et Fecit

Æsopus, & continuo narrare incipit:

¶ Uxorem quondam Sol quum vellet ducere,
Clamorem Ranæ sustulere ad sidera.
Convicio permotus quærit Jupiter
Causam querelæ: quædam tum stagni incola,
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miseras arida sede emori:
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

2. CONTINUO] Statim. Simulac vidisset multitudinem hominum illuc euntium.

NARRARE] Apologum comminisci. Sic *Narratio* etiam sumitur pro Fabula. Vid. lib. hujus fab. 12. & l. 5. f. 2.

5. CONVICIO] Vociferatione, vel clamore, quod præcessit. *Convicium*, quod secundam producit, dicitur a conjunctione vocum.

JUPITER] Pater Deorum, de quo variis locis fit mentio.

6. QUERELÆ] Ante dixit *clamorem* & *convicium*.

STAGNI INCOLA] Rana, ab incolendo stagno.

7. UNUS] Solus, etsi plures non extent. Refertur ad solem.

EXURIT] Exsiccat per calorem suum.

8. ARIDA] Absumto per calorem omni humore paludis.

SEDE] Sedem vocat paludem, quasi locum commorationis, ubi degunt.

EMORI] Sic ut nulla reliqua maneat. Belgice *uitsterven*.

9. CREARIT] Procrearit. Optima locutio. Sic Ovid. de Peleo, lib. 8. Metam.

Magnique creator Achillei.

Flor. l. 1. c. 6. *Quamvis matre serva creatum.*

Huc mire facit quod ex Stobæo ad hanc Fab. refert Freinshemius de Lydo quodam. Sed ipsum adi. Vide & Camerarii Fabulam 161.

FAB. VII.

VULPIS AD PERSONAM TRAGICAM.

PERSONAM tragicam forte Vulpis viderat.
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
¶ Hoc illis dictum est, quibus honorem & gloriam For-

AD FAB. VII.

1. PERSONAM] Larvam, qua actores in scena vultum & caput obtegebant, ut sic melius personam quamlibet sustinerent.

2. FORTE] Casu quodam.

3. DICTUM EST] Hoc illis applicari debet.

HONOREM] Dignitatem.

Fortuna tribuit, ſenſum communem abſtulit.

4. TRIBUIT] Sic & *tribuere præmium* apud Nepot. Miltiade c. 6. *Cujus victoriæ non alienum videtur quale præmium Miltiadi ſit tributum docere.*

SENSUM] Judicium, intellectum, qualem communiter de rebus homines habere ſolent, quo qui deſtituti ſunt, ſtupidi vocantur. Confer quod habet Camerarius Fab. XI. & Faërnus p. 131. Præterea legi meretur, quod Ulyſſes ait apud Homer. Odyſſ. l. VIII. vers 176.

Ως κέ σοὶ εἶδος μὲν ἀεικπρεπὲς, οὐδὲ κεν ἄλλως
Οὐδὲ θεὸς τεύξειε· νόον δ' ἀποφώλιος ἐσσί.

Et cætera, quæ ibi præcedunt.

FAB. VIII.

LUPUS ET GRUIS.

QUI pretium meriti ab improbis deſiderat,
Bis peccat: primum quoniam indignos adjuvat:
Impune abire deinde quia jam non poteſt.
¶ Os devoratum fauce quum hæreret Lupi,
Magno dolore victus, cœpit ſingulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem perſuaſa eſt jurejurando Gruis,
Gulæque credens colli longitudinem,
Periculoſam fecit medicinam Lupo.

Pro

AD FAB. VIII.

1. MERITI] Abſolute meritum pro bene merito, id eſt, beneficio.

2. PECCAT] Male facit, imprudenter facit.

3. IMPUNE] Sine detrimento, noxa, damno.

4. FAUCE] *Fauce* eſt pro *fauci*.

5. VICTUS] Motus, actus.

SINGULOS] Omnes.

6. PRETIO] Præmio. Ter. Andr. *Ego pretium ob ſtultitiam fero.* Ideo mox noſter, *cum flagitaret præmium.*

MALUM] Os devoratum, quod eleganter ſic appellat, propter incommoda ex eo & dolores.

7. PERSUASA] Adducta eſt. Fidem juranti habuit.

8. CREDENS] Committens & immittens.

LONGITUDINEM] Sic ſæpe loquitur Phædrus. *Colli longitudinem* pro longum collum. Helleniſmus eſt, ut apud Euripid. Πελάμοιο δέμας, pro Priamo: Θησέως κάρα, pro Theſeo. Cujus apud Poëtas Latinos exempla ſunt non pauca. Sic infra: *Corvi ſtupor* pro corvo ſtupido, & ſimilia alibi habemus.

9. PERICULOSAM] Maxime grui, cui erat periculum ne devoraretur a lupo. Quod & ex ſequentibus apparet. Addit enim Lupus *Ingrata es ore quæ noſtro caput Incolume abſtuleris?*

10. PA-

Pro quo quum pactum flagitaret præmium;
Ingrata es, inquit, ore quæ noſtro caput
Incolume abſtuleris, & mercedem poſtules.

10. PACTUM] Hoc lib. fab. 14. dixit *poſitum præmium*, & lib. 5. Fab. 5. vers. 5. *propoſitum præmium.*

11. INQUIT] Lupus videlicet, qui nunc grui reſpondet.

ORE] Pro *ex* vel *abs ore*, cui ſc. immiſeras. Præpoſitionem omittit ob verbum ſubſequens *abſtuleris*, cui vis ejus ineſt.

NOSTRO] Meo. Synecdoche.

12. INCOLUME ABSTULERIS] Hoc eſt, quod Apulejus dixit in Apologia, *Sine noxæ periculo.* Ad quæ verba Pricæus dicit hunc & præcedentem Phædri verſum expreſſos eſſe ex hiſtoria Corcodili apud Philen, cujus hæc ſunt verba:

Καὶ τὴν γε κεφαλὴν ἀντὶ μισθοῦ λαμβάνει,
Μηδὲν κακὸν παθοῦσαν ἐκ θηρίου.

Quæ ex verſione Gregorii Berſmanni fere ſic ſonant:

Indemne præmii loco caput refert,
A bellua nil regulus paſſus mali.

POSTULES] Senſus eſt: Tu pro hoc meo beneficio non ingrata ſolum es, non laudando videlicet raram hanc & ſingularem meam clementiam, ſed inſuper & mercedem poſtulas, quaſi non ſatis ſit mercedis, quod vitam tibi conceſſerim. Vid. Camerar. f. 143. & Faërnum p. 111.

FAB. IX.

PASSER ET LEPUS.

SIBI non cavere, & aliis conſilium dare,
Stultum eſſe, paucis oſtendamus verſibus.
¶ Oppreſſum ab Aquila fletus edentem graves
Leporem objurgabat Paſſer: Ubi pernicitas
Nota, inquit, illa eſt? Quid ita ceſſarunt pedes? 5
Dum

AD FAB. IX.

1. CAVERE] Providere. Imitatur Terent. Heaut. 5. 1. 49.

Nonne id flagitium eſt, te aliis conſilium dare,
Foris ſapere, tibi non poſſe te auxiliarier?

Cavere autem proprium verbum de eo, qui conſilio inſtruit, ſicut Juriſconſulti clientes ſuos. Cic. lib. 3. Ep. 1. *L. Valerium Juriſconſultum valde tibi commendo; ſed ita etiam, ſi non eſt jureconſultus. Melius enim ei cavere volo quam ipſe aliis ſolet.* Ovid. de Arte amandi,

Illo ſæpe loco capitur conſultus amore,
Quique aliis cavit, non cavet ipſe ſibi.

3. FLETUS] Pro *& fletus edentem.* Aſyndeton.

EDENTEM] Sic *edere vocem* eſt Fab. 12.

4. UBI] Elegantiſſimus eſt uſus particulæ *ubi* in exprobrationibus & irriſionibus.

5. QUID ITA] Locutio elliptica, pro, *ob quid ita*, hoc eſt, ob quam cauſam. Ter. *Lætus eſt neſcio quid*, ubi *propter* deeſt.

CESSARUNT] Pigri & tardi facti ſunt, non fecerunt officium.

Dum loquitur, ipſum Accipiter nec opinum rapit,
Queſtuque vano clamitantem interficit.
Lepus ſemianimus mortis in ſolatio:
Qui modo ſecurus noſtra inridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

6. NEC OPINUM] *Nec opinantem. Nec*, ut ſæpe, hoc loco *non* eſt.

8. SEMIANIMUS] Pro *Semianimis*. Sic *anguis ſemianimus* apud Ennium.

IN SOLATIO] Quidam volunt *in ſolatium*, quaſi *ad ſolatium*. Sed commoda eſt vulgata lectio. Eſt enim ſenſus, Viſo, quod in ſolatio, vel pro ſolatio eſſet: accepto hoc levamento doloris, quod videbat inſultantem modo ſibi, eadem clade perire, dixit: *Qui modo ſecurus noſtra* &c.

9. NOSTRA] Noſtrum infortunium.

10. FATA] Mortem.

FAB. X.

LUPUS ET VULPIS JUDICE SIMIO.

QUICUNQUE turpi fraude ſemel innotuit,
Etiamſi verum dicit, amittit fidem.
Hoc adteſtatur brevis Æſopi fabula.
¶ Lupus arguebat Vulpem furti crimine;
Negabat illa, ſe eſſe culpæ proximam.
Tunc judex inter illos ſedit Simius.
Uterque cauſam cum peroraſſent ſuam,
Dixiſſe

AD FAB. X.

1. TURPI FRAUDE] Ablativus eſt, pro, propter turpem fraudem. Quicunque ſemel impoſtura deprehenſus & convictus eſt.

5. PROXIMAM] Propinquam, id eſt, ream. Cicero ſic & *affinem culpæ* poſuit.

6. SEDIT] Locutio eſt petita a rebus forenſibus. Patroni dicebantur ſtare pro eo, cujus cauſam tuebantur; unde eſt apud Ovidium,

Pro Troja ſtabat Apollo:

quia ſtantes cauſam dicere ſolebant. Judices vero ſententiam ferebant ſedentes. Unde *ſedere in aliquem* eſt, alicujus eſſe judicem. Ovidius in ſimili negotio, Met. l. 13. *Conſedere duces.*

7. PERORASSENT] Oratione deduxiſſent ad finem, ac quantum neceſſe videbatur propoſuiſſent.

9. VIDE-

Dixiſſe fertur Simius ſententiam:
Tu non videris perdidiſſe quod petis;
Te credo ſurripuiſſe quod pulcre negas.

9. VIDERIS] *Videri* vel *non videri* erat formula antiqua in ſententiis judicum.

10. PULCRE] Specioſe, callide, ſcite. Vid. Camerarii Fab. 212.

FAB. XI.

ASINUS ET LEO VENANTES.

VIRTUTIS expers verbis jactans gloriam
Ignotos fallit, notis eſt deriſui.
¶ Venari Aſello comite quum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit ſimul
Ut inſuëta voce terreret feras,
Fugientes ipſe exciperet. Hic auritulus
Clamorem ſubitum totis tollit viribus:
Novoque turbat beſtias miraculo:

Quæ

AD FAB. XI.

1. VIRTUTIS] Virium, roboris, fortitudinis. Synecdoche.

VERBIS JACTANS] Jactans glorioſa verba.

2. IGNOTOS] Hic active accipitur de iis, qui non noſcunt.

4. CONTEXIT] Occuluit ut non poſſet conſpici. Virgilius,

Caput glauco contexit amictu.

5. INSUETA] Quadriſyllaba ut hæc vox ſit metrum exigit. Sic & fab. 2.

Omne inſuëtis onus, & cepiſſent queri.

6. EXCIPERET] Verbum proprium venatorum. Virg. Ecl. 2.

Non ego te vidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſca?

AURITULUS] Aſinus, ab auribus longiuſculis. Sic *laniger* pro ovi a lana. fab. 1. Ubi vide notas. Vulgo legunt, *Hic auriculas*

Clamore ſubito tollit totis viribus.

Quam lectionem retinuiſſe miror Petrum Danetum, qui hunc auctorem edidit in uſum Sereniſſimi Delphini, cum potuerit ſcire ex Tanaquillo Fabro, quem, in concinnandis ſuis notis, ſemper ante oculos habuit, turpiter ſic verſum conſtitui. Niſi forte inter eos ſit, qui putant Phædrum nullis rei metricæ legibus teneri. Certe quid de hoc carminis genere ſenſerit patet ex eo quod ſcribit ad prologum lib. 1. hos verſus, quibus Phædrus eſt uſus, maxime eſſe uſitatos. Eodem modo corrumpit ultimum hujus fabulæ verſum. Et tamen narrat Fabrum carminis ratione adductum aliter ſcribere.

9. Exi-

Quæ dum paventes, exitus notos petunt,
Leonis adfliguntur horrendo impetu:
Qui poſtquam cæde feſſus eſt, Aſinum evocat,
Jubetque vocem premere: Tunc ille inſolens,
Qualis videtur opera tibi vocis meæ?
Inſignis, inquit, ſic ut niſi noſſem tuum
Animum, genuſque, ſimili fugiſſem metu.

9. EXITUS] Vias elabendi. Sic & Cicero uſurpavit. C. Nepos vita Hannibalis, *Cum omnes exitus occupatos oſtendiſſet.*

NOTOS] Frequentatos. Huc & illud Juvenalis Sat. 1. ſpectat,

Nota magis nulli domus eſt ſua, quam
mihi lucus

Martis. Domus enim ſua alicui eſt nota, quia ab eo frequentatur. Sic Virg. Ecl. 1. *Inter flumina nota.* Et noſter lib. 2. fab. 5. *Inde notis flexibus.* Virg. iterum l. 7. Æn. 500.

Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit.

10. ADFLIGUNTUR] Alliduntur terræ.

11. EVOCAT] Ex fruticibus, ſub quibus tectus & reconditus erat.

12. PREMERE] Comprimere, id eſt, tacere, quomodo apud Virg.

Sic memorat vocemque premit.

INSOLENS] Inflatus, tumidus, ſuperbus.

13. OPERA] Labor & auxilium, quomodo Nepos de Alcibiade, in ejus vita cap. 4. *Ejuſdem opera Ioniam a ſocietate averterunt Athenienſium.*

FAB. XII.

CERVUS AD FONTEM.

LAUDATIS utiliora quæ contempſeris
Sæpe inveniri, hæc exerit narratio.
¶ Ad fontem Cervus quum bibiſſet, reſtitit,
Et in liquore vidit effigiem ſuam.

Ibi

AD FAB. XII.

1. LAUDATIS] Locus obſcurior propter ellipſin. Ordo ſic ſe habet: *Narratio hæc exerit, ea, quæ contemſeris, inveniri ſæpe utiliora laudatis*, hoc eſt, quam ea, quæ laudantur.

2. EXERIT] Prodit, aperit, notum facit.

NARRATIO] Fabula, argumentum, exemplum. Sic & lib. v. fab. 2.

3. AD FONTEM] *Ad* loci deſignat propinquitatem.

RESTITIT] Stetit. Sic & lib. 3. fab. 7. & 14.

4. ET IN LIQUORE] Idem fere eſt Fab. 4. de cane. *Liquor* etiam pro aqua fab. 1.

EFFIGIEM] *Simulacrum ſuum*, ead. Fab. 4

5. RA













B. Branch del. et fecit.

Ibi dum ramoſa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum ſubito vocibus conterritus,
Per campum fugere cœpit, & curſu levi
Canes eluſit. Silva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus,
Lacerari cœpit morſibus ſævis canum.
Tunc moriens, vocem hanc edidiſſe dicitur:
O me infelicem, qui nunc demum intelligo,
Ut illa mihi profuerint, quæ deſpexeram,
Et quæ laudaram, quantum luctus habuerint!

5. RAMOSA] Cornua ramis ſimilia.
7. VENANTUM] Hoc eſt venatorum.
VOCIBUS] Conſueto clamore, quo hortantur canes.
8. FUGERE COEPIT] Fugit. Sic mox, *Lacerari cœpit*. Locutio Phædro familiaris. Quod in harum fabularum ultima digito monſtrabimus.
CURSU LEVI] Facili, celeri.
9. ELUSIT] Elegantiſſime de illis flexibus circuitibuſque implicitis, & in ſe redeuntibus, quales faciunt in fuga, & ſic inſequentes canes fallunt. Valet, effugit, evaſit.
SILVA] In ſilvam ſe contulit cervus.
FERUM] Cervum. Sic & infra lib. 2. fab. 8. verſ. 14. de cervo etiam, *Tum gaudens ferus* &c. Sic vocabant antiqui omnes animantes rationis expertes. Virgil. de equo Trojano l. 2. Æn.

In latus, inque feri curvam compagibus alvum.

Martialis etiam de Formica,

Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.

Mitto alia, quæ in frequenti uſu.
10. RETENTIS] Al. *retentus impeditis*. Non male. Cæſar de bello civili lib. 3. 77. *impeditiſſima* dixit *itinera*. Alibi *impeditas ripas*. Nec aliter non uno loco Hirtius.
14. UT ILLA] *Ut* eſt *quantum*. Itaque mox ſequitur, *quantum luctus*, id eſt, quantum damni.

FAB. XIII.

VULPIS ET CORVUS.

QUI ſe laudari gaudent verbis ſubdolis,
Seræ

AD FAB. XIII.

Alludit ad hanc fabulam Ant. Codrus Serm. 12. p. 125. quanquam tunc temporis Phædrus nondum extabat publice. Sed potuit hauſiſſe ex Apuleji floridis. nam & iſtic legitur. Vid. & Camerar. fab. 160. & Faërn. p. 39.
1. SUBDOLIS] Dolo formatis & compoſitis

Seræ dant pœnas turpes pœnitentiæ.
Cum de feneſtra Corvus raptum caſeum
Comeſſe vellet, celſa reſidens arbore,
Hunc vidit Vulpis, dehinc ſic occepit loqui:
O qui tuarum, Corve, pennarum eſt nitor!
Quantum decoris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus, dum vult vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa Vulpis avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corvi deceptus ſtupor:
Virtuti ſemper prævalet ſapientia.

FAB.

ſitis ad voluntatem audientis.

2. DANT POENAS] Pœnas dant, qui pœnis digna perpetrarunt. Dicimus enim pendere, dependere, ſolvere, perſolvere, luere pœnas: & iſta quidem patientis ſunt. Agentis autem, exigere, poſcere, repetere, capere, infligere, irrogare pœnas.

TURPES] Ob aliorum riſus, quibus ſunt expoſiti. Hoc ſenſu dicimus, *dare ſe turpiter*, i. e. ſe riſui aliorum exponere.

3. FENESTRA] Poteſt accipi de quocunque foramine in muro aut pariete.

4. RESIDENS] Sedens. Sic ſupra *Reſtitit* pro ſtetit.

5. OCCOEPIT] Plautinum eſt. Phædrus aliis in locis *cœpit*, Græciſmo ipſi familiariſſimo, ut jam oſtendimus, & deinceps latius oſtendemus.

6. QUI] Qualis, quam magnus atque admirabilis.

NITOR] Splendorem intelligit, quamvis paulo minus ſit nitor, quam ſplendor: cum hic quaſi radios emittat, nitor minime.

7. GERIS] Habes. Ter. *infirmum animum gerunt*, id eſt, habent.

8. PRIOR] Puta *te*, quod intelligendum. *Prior* autem eſt, melior, ſeu potior.

9. OSTENDERE] Significare, ſibi non deeſſe vocem.

10. EMISIT] Fab. 4. *Quem tenebat ore demiſit cibum.*

12. TUM DEMUM] Notat judicii tarditatem. Ter. Heaut. 2. 3. *Vah, nunc demum intelligo.*

INGEMUIT] Cum gemitu dixit.

STUPOR] *Corvus ſtupidus.* Sic *error Herculis*, id eſt, Hercules errans. Virg. Æn. lib. XI. 376.

Talibus exarſit dictis violentia Turni,

i. e. Turnus violentus. Homerus lib. VIII. Odyſſ. μέγ' Ηφαίϛοιο, *Robur Vulcani*, i. e. Vulcanus robuſtus. Vid. Fab. VIII.

AD

FAB. XIV.

EX SUTORE MEDICUS.

MALUS quum Sutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere cœpiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis adquiſivit ſibi famam ſtrophis.
Hic quum jaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, ejus experiendi gratia,
Scyphum popoſcit: fuſa dein ſimulans aqua
Miſcere illius antidoto ſe toxicum,
Hoc bibere juſſit ipſum, poſito præmio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt,
Non

AD FAB. XIV.

1. MALUS] Artis ſuæ imperitus.

DEPERDITUS] Cujus facultates omnes ſic erant exhauſtæ, ut jam ſutor eſſe diutius non poſſet.

2. IGNOTO] Peregrino, ubi nemo eum noverat.

FACERE] Artem medicam exercere. Ita Græci, ποιεῖν τὴν ἰατρικήν.

3. FALSO] Falſi nominis antidotum, id eſt, quod falſo habebat hoc nomen. *Antidotum* medicamentum eſt, quod ad venena datur.

4. STROPHIS] Cicero laqueos verborum appellavit in Cæcin. Et ſunt *Strophæ* proprie laquei decipiendis feris.

5. HIC] Tunc, eo tempore. Virg. 3. Æneid. 533.

Hic Priamus quanquam in media jam morte tenetur
Non tamen abſtinuit.

Ubi Servius, *Hic, id eſt tunc.*

JACERET] Decumberet præ ægritudine.

CONFECTUS] Viribus ex vi morbi proſtratis.

6. REX] *Rex* hic eſt, qui ſummam tenet Reip. Atque ſic antiquitus appellabantur ſingularum quoque urbium moderatores.

URBIS] In qua exercebat hic ſutor medicinam.

EJUS EXPERIENDI] Ut ipſum tentaret, ut periculum faceret in arte medica, quam ille profitebatur.

8. MISCERE] Dicitur de veneno. Ovid. Met. l. 1.

Lurida terribiles miſcent aconita novercæ.

TOXICUM] Antiquitus *taxicum* ab arbore *taxo peſtifera.*

9. POSITO] Propoſito. Sic Virg. l. 5. Æn. 292.

Invitat pretiis animos & præmia ponit.

10. MORTIS] Imminentis exhauſtu poculi venenati, ſicut credebat.

Non artis ulla medicæ ſe prudentia,
Verum ſtupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata concione hæc edidit:
Quantæ putatis eſſe vos dementiæ,
Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſit pedes?
¶ Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum ſtultitiâ quæſtus impudentiæ eſt.

11. PRUDENTIA] Scientia, peritia. Ita plane Ovidius in Epiſt. Oenones,

Deficior prudens artis ab arte mea.

12. NOBILEM] Refertur ad claritatem famæ. Nam præcedit: *acquiſivit ſibi famam.*

13. ADVOCATA CONCIONE] Poſtquam populum advocaſſet.

15. CAPITA] Pro *vita* aut *ſalute* ſumitur.

NON DUBITATIS] Audetis, ſuſtinetis, nihil veremini.

16. CALCEANDOS] Calceis inſtruendos, muniendos.

COMMISIT] Appoſite. Cato apud Gellium I, 15. *Itaque auditis, non auſcultatis, tanquam Pharmacopolam: nam ejus verba audiuntur; verum ei ſe nemo committit, ſi æger eſt.*

18. QUORUM] E quorum hominum ſtultitia, i. e. ſimplicitate quæſtum facere poſſunt improbi & impudentes, qualis hic ſutor fuiſſe deſcribitur.

F A B. X V.

ASINUS AD SENEM PASTOREM.

In principatu commutando civium,
Nil præter domini nomen mutant pauperes.
Id eſſe verum parva hæc fabella indicat.
¶ Aſellum in prato timidus paſcebat Senex:
Is hoſtium clamore ſubito territus,

Suade-

AD FAB. XV.

1. PRINCIPATU] Generatim ſic appellat quodvis imperium. Vide huic loco convenientia in Ciceronis Epiſt. ad Att. lib. xv. Ep. 4. Et in iiſdem paſſim.

2. PAUPERES] Intelligit eos, qui quacunque ex cauſa ſubeſſe aliis coguntur, nullo ſpeciali reſpectu ad inopiam nummorum.

4. TIMIDUS] *Timidi* proprie dicuntur ſenes.

6. FUGE-

Suadebat Aſino fugere, ne poſſent capi.
At ille lentus, Quæſo, num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negavit. Ergo, quid refert mea
Cui ſerviam, clitellas dum portem meas?

6. FUGERE] *Fugam*, Græca conſuetudine.

AT ILLE] Supple, dixit. Venuſta formula. Sic fab. 13. *At ille ſtultus* &c.

8. CLITELLAS] Inſtrumenta lignea, in quibus colligatæ ſarcinæ imponuntur aſinis vel equis.

9 NEGAVIT] Dixit non impoſiturum.

ERGO] Sc. *dixit Aſinus.*

10. DUM PORTEM] Si tamen quotidie mihi portandæ ſunt meæ clitellæ. Vide Camerarii Fabulam 294. de Aſino & Vitulo.

FAB. XVI.

CERVUS ET OVIS.

FRAUDATOR nomen quum locat ſponſu improbo,
Non rem expedire, ſed mala videre expetit.
¶ Ovem rogabat Cervus modium tritici
Lupo ſponſore: at illa præmetuens doli:
Rapere atque abire ſemper adſuevit Lupus,
Tu de conſpectu fugere veloci impetu:

Ubi

AD FAB. XVI.

1. FRAUDATOR] Qui in fraudem creditorum, & eorum fraudandorum cauſa quid fecit, geſſitve, fraudator dicitur.

NOMEN] Debitor dicebatur *locare nomen. Nomen facere* dicebatur creditor, cum in tabulis accepti & expenſi nomen ejus, cui pecuniam dabat, ſcribebat.

IMPROBO] Quia ille ſponſor ſolvendo non eſt.

4. PRÆMETUENS DOLI] Statim & in anteceſſum metuens. Optima & Phædro digna locutio Sic *metuentior undæ*, Ovid. Epiſt. Herus. Idem Faſt VI.

Quo non metuentius ullum
Numinis ingenium terra Sabina tulit.

quomodo & *metuens pericli* apud Maron. Æn. v. Sic & alii poëtæ. Cæterum hic verbum *inquit* omittitur, ut ſupra fab. 9. Nam ovis verba ſunt quæ ſequuntur.

5. ABIRE] Poſt factam rapinam.

6. DE CONSPECTU] *E conſpectu* Ter. Eun.

Ubi vos requiram, quum dies advenerit?

7. DIES] Solenniter, pro die ſolutioni præſtituta. Atque ita optimi Scriptores. C. Nepos Attico cap. 9. *Cum illa fundum ſecunda fortuna emiſſet in diem.* Vide huic fabulæ convenientia apud Homerum Odyſſ. l. VIII. vers. 347. & ſeq.

FAB. XVII.

OVIS, CANIS ET LUPUS.

SOLENT mendaces luere pœnas maleficî.
¶ Calumniator ab Ove quum peteret Canis,
Quem commodaſſe panem ſe contenderet;
Lupus citatus teſtis, non unum modo
Deberi dixit, verum affirmavit decem.
Ovis damnata falſo teſtimonio,
Quod non debebat, ſolvit. Poſt paucos dies
Bidens jacentem in fovea proſpexit Lupum.
Hæc, inquit, merces fraudis à Superis datur.

FAB.

AD FAB. XVII.

1. LUERE] Puniri ob maleficia.

2. CALUMNIATOR] Adjective hic, qui calumnias exercet. Ordo eſt turbatior. Simplicior ita ſe habet: Canis calumniator cum peteret panem ab ove, quem ſc. panem contenderet ſe commodaſſe ſc. ovi.

3. COMMODASSE] Alii *commendaſſe*, pro depoſuiſſe. Stant tamen plerique pro vulgata, quam & Lupi teſtimonium firmare videtur: nempe ut canis in rei cibariæ inopia ovem aliquoties ſuſtentaverit, commodatis, quibus veſceretur, panibus.

CONTENDERET] Crebro & conſtanter affirmaret.

4. TESTIS] Quaſi miniſter & aſſeſſor furis judicis.

8. BIDENS] *Bidentes* pro ovibus, paſſim apud poëtas.

JACENTEM] Delapſum atque captum. Solebant enim capi olim quoque foveis. Unde Horat.

Cautus enim metuit foveam lupus.

Atque talis fovea captandis lupis dolo ſtructa hic eſt intelligenda. Confer ſimile exemplum in Cam. f. 189.

AD


CANIS PARTURIENS.
FAB. XVIII.


CANIS PARTURIENS.
FAB. XIX.


CANIS FAMELICUS.
FAB. XX.


CANES APER. TAURUS. ET ASINUS.
FAB. XXI.


MUSTELA. ET HOMO.
FAB. XXII.


CANIS FIDELIS.
FAB. XXIII.

FAB. XVIII.

MULIER PARTURIENS.

NEMO libenter recolit, qui læſit, locum.
¶ Inſtante partu, Mulier actis menſibus,
Humi jacebat flebiles gemitus ciens;
Vir eſt hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturæ melius quo deponeret.
Minime, inquit illa, poſſe confido loco
Malum finiri, quo conceptum eſt initio.

AD FAB. XVIII.

1. RECOLIT] Denuo & ſæpius ad eum venit, repetit eum, reviſit.

QUI LÆSIT] In quo loco aliquis læſus eſt.

2. ACTIS] Circumactis, exactis, finitis novem menſibus, & decimo inchoato. Cicero Accuſ. 1. in Verr. c. 18. *Latonam ex longo errore & fuga, gravidam & jam ad pariendum vicinam, exactis temporibus confugiſſe Delum.* Aſconius: *menſibus exactis.*

3. CIENS] Edens. Sic Virg. *mugitus ciere.*

4. VIR] Maritus. Sic Ter. Heaut. 4. 1. 9. *Ehem mi vir*, ex perſona Soſtratæ uxoris.

CORPUS] Ut ſe in lectum reciperet.

5. ONUS] Fœtum deponeret; ut fab. ſeq. Sic & lib. 2. f. 4. Cæterum fœtus in utero antiquitus ſarcinæ & onera vocabantur. Nec multum abludit locutio, qua Belgæ uti ſolemus de gravida: *Zy heeft een pakje te dragen.* & deinde de puerpera, *Zy heeft haar pakje geloſt*, &c.

DEPONERET] *Deponere* dicitur de eo, quod nos gravat.

7. CONCEPTUM] Acceptum. Proprie dictum. Sermo enim eſt de gravida.

FAB. XIX.

CANIS PARTURIENS.

HABENT inſidias hominis blanditiæ mali,
Quas ut vitemus, verſus ſubjecti monent.
¶ Canis parturiens, quum rogaſſet alteram, Ut

AD FAB. XIX.

1. HABENT] Continent in ſe.

BLANDITIÆ] Adulationes.

3. CANIS] Extat hæc Fabula apud Juſtinum l. 43. c. 4.

ALTERAM] Hic ponitur pro *aliam.*

4. FOE-

Ut fœtum in ejus tugurio deponeret,
Facile impetravit; dein repoſcenti locum,
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos poſſet ducere.
Hoc quoque conſumpto, flagitare validius
Cubile cœpit: Si mihi & turbæ meæ
Par, inquit, eſſe potueris, cedam loco.

4. FOETUM] *Onus naturæ* dixit fab. præcedent.
DEPONERET] Deponere liceret. Vid. fab. præced.
6. ADMOVIT] Sic & infra loquitur l. 3. f. 16. & l. 4. f. 25.
EXORANS] Orando impetrans.
7. DUM] *Dum* hic eſt donec. Sic Virg. 3. Æn. 16.
Dum fortuna fuit.
DUCERE] Abigere catulos robuſtiores, vel educere e tugurio.
8. CONSUMPTO] Finito, tranſacto.
9. CUBILE] *Tugurium*, ut vers. 4.
TURBÆ] Catulis meis, pullis.
10. PAR] Reſiſtere potueris.
CEDAM] Faciam tibi locum.

FAB. XX.

CANES FAMELICI.

STULTUM conſilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.
¶ Corium depreſſum in fluvio viderunt canes:
Id ut comeſſe extractum poſſent facilius,
Aquam cœpere bibere: ſed rupti prius
Periere, quam quod petierant, contingerent.

FAB.

AD FAB. XX.

1. EFFECTU CARET] Nequit effici: quomodo *culpa caret*, pro nequit culpari.
2. DEVOCAT] In ruinam homines ducit. Infra lib. 3. f. 5.
Succeſſus ad perniciem multos devocat.
3. DEPRESSUM] Merſum. Sic *deprimere naves* apud Nepotem.
4. COMESSE] Comedere. Nam *eſſe* eſt edere.
5. RUPTI] Diſrupti, nimio ſc. aquæ potu.

FAB. XXI.

LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.

QUICUNQUE amisit dignitatem pristinam,
Ignavis etiam jocus est in casu gravi.
¶ Defectus annis & desertus viribus
Leo quum jaceret, spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem injuriam:
Infestis taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus ut vidit ferum
Impune lædi, calcibus frontem exterit.
At ille exspirans: Fortes indigne tuli
Mihi insultare: te, naturæ dedecus,
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

FAB.

AD FAB. XXI.

2. IGNAVIS] Imbellibus, timidis derisui est & contemtui. Sic *notis est derisui* Fab. XI.

3. DEFECTUS] Qui deficiebat propter annos. Legunt sic viri summi Schefferus, Heinsius, Faber, Rigaltius, Meursius, Gudius. *Quin & defecta corporis viribus* Sibylla dicitur Servio ad VI. Æn. 321. Al. *confectus*. Sed & sic Florus, quem vide 3. 12. 6. Camerarius quoque Fab. 197. *Leo confectus senio*, quem vide.

VIRIBUS] Subintelligitur *a*.

4. TRAHENS] Significatur difficultas, & quasi ultimi conatus vivendi.

5. FULMINEIS] Qui instar fulminis sternunt & proterunt obvia quæque; vel propter candorem inter nigras setas. Ovid. l. 10. Metam. vers. 550.

Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.

6. ICTU] Morsu. Nam de dentibus locutus est.

VETEREM] Olim illatam.

9. EXTERIT] Comminuit, terendo & calcitrando confringit. Gudius, *extudit*.

10. INDIGNE] Cum indignatione, memor pristinarum virium.

11. NATURÆ DEDECUS] Te, asine, naturæ dedecus. Infra in fine lib. 2.

Sinistra quos in lucem natura extulit.

12. BIS] Semel per vim, iterum per infamiam ex auctore ejus, cum fama bona sit velut altera vita, & ob id vitæ æquiparetur. Confer And. Alciati Emblema LVII.

FAB. XXII.

MUSTELA ET HOMO.

MUSTELA ab Homine prensa, quum instantem necem
Effugere vellet: quæso, inquit, parcas mihi,
Quæ tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: Faceres si causa mea,
Gratum esset, & dedissem veniam supplici:
Nunc quia laboras ut fruaris reliquis,
Quæ sunt rosuri, simul & ipsos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus, improbam leto dedit.
Hoc in se dictum debent illi agnoscere,

Quo-

AD FABULAM XXII.

1. AB HOMINE] Ignoto & incerto.

INSTANTEM] Lib. 2. f. 8.

Ut venatorum fugeret instantem necem.

3. QUÆ TIBI] Ordo est: *Quæ purgo domum muribus molestis tibi*: nisi *tibi* hic ornatus causa addatur orationi, ut sæpe fit. Ter. Phorm. 5. 8. 21.

Qui mî, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.

Hor. l. 1. ep. 3.

Quid mihi Celsus agit?

MOLESTIS] A molestis.

4. FACERES SI] *Si hæc tua opera mihi daretur*, ut habet Camerarius fab. 213.

5. GRATUM] Acciperes pro ea opera vicem, si mea causa faceres.

SUPPLICI] Motus tuis precibus, & quia suppliciter oras.

6. LABORAS] Laboras propterea, ut &c. *Laborare* hic est, quoquo modo negotiosum esse, operam dare capiendis muribus, ut absumas semesa eorum frusta, eosque devores

RELIQUIS] Cœnarum, qualia decidunt ex pane aliisque cibis in terram, muribusque cedunt. Alii non admittunt vocem *reliquis*, quod putent sic laborare versum, & pro eo *reliquiis* reponunt. Sed nihil periculi est. *Reliquis* enim vel est quadrisyllabum, vel *Relliquis* potest scribi, ut prima syllaba producatur. Vide Gudium.

8. IMPUTARE] Noli jactare & venditare quod mihi pro beneficio dederis.

VANUM] Quod habet speciem exterius, sed intus nihil est.

9. ATQUE ITA] Sic supra fab. 1.

Atque ita correptum lacerat injusta nece.

IMPROBAM] Crudelem & avaram, ut liquet ex superioribus. Ad eundem modum l. 2. f. 1. *Et improbum rejecit.*

LETO] Sic infra l. 3. f. 16.

10. IN SE] Contra se. Ter. Adelph. *Nolo in illum gravius dicere.* Sup. fab. 7. *Hoc illis dictum est.*

11. QUO-

Quorum privata ſervit utilitas ſibi,
Et meritum inane jactat imprudentibus.

11. QUORUM] Qui quicquid agunt, id ſua cauſa agunt, & tamen venditant credulis & imperitis pro beneficiis.

12. JACTAT] *Jactare* eſt iterum atque iterum repetere. Virg. 2. Æn. 588. *Talia jactabam.*

IMPRUDENTIBUS] Apud imprudentes, id eſt, ſimplices, quibus volunt imponere pompa verborum. Contrario ſenſu vocat *peritos*, fab. ſequenti; & *cautos* fab. 25.

FAB. XXIII.

CANIS FIDELIS.

REPENTE liberalis, ſtultis gratus eſt;
Verum peritis inritos tendit dolos.
¶ Nocturnus quum fur panem miſiſſet Cani,
Objecto tentans an cibo poſſet capi:
Heus, ſi, inquit, linguam vis meam præcludere,
Ne latrem pro re domini: multum falleris.
Namque iſta ſubita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

FAB.

AD FAB. XXIII.

1. REPENTE] Ex improviſo, & præter ſpem, quia præter conſuetudinem ejus.

2. TENDIT] A venatione deſumtum: nam tendi retia dicuntur feris, cum captantur. Sic *tendere inſidias* dixit Saluſt. in Catil.

DOLOS] Hinc Laocoön apud Virg. 2. Æneidos arguit, Danaos debere eſſe ſuſpectos, quod dona ferant.

3. NOCTURNUS] Noctu furari ſolitus. Sic *nocturni advocati*, qui noctu vocantur. Vide quomodo hæc Fabula ſe habeat apud Camerarium, Fab. 203.

PANEM] Panem objeciſſet, proprie. Sic lib. 3. fab. 7. noſter hoc vocat *fruſta jactare.*

6. PRO RE] Cuſtodienda ſc. & conſervanda. Cæterum *rei* appellatio generalis eſt, & extenditur ad omnia bona, quæ quis poſſidet.

7. SUBITA] Repentina liberalitas. Nam in principio fabulæ eſt,

Repente liberalis ſtultis gratus eſt.

FAB. XXIV.

RANA RUPTA ET BOS.

INOPS, potentem dum vult imitari, perit.

¶ In prato quædam Rana conſpexit Bovem,
Et tacta invidia tantæ magnitudinis,
Rugoſam inflavit pellem: tum natos ſuos
Interrogavit, an Bove eſſet latior.
Illi negarunt. Rurſus intendit cutem
Majore niſu, & ſimili quæſivit modo,
Quis major eſſet. Illi dixerunt Bovem.
Noviſſime indignata, dum vult validius
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

AD FAB. XXIV.

1. POTENTEM] Divitem. Sed fab. 30. de proceribus dicitur.

3. TACTA] Correpta, commota, & incenſa.

INVIDIA] Senſu activo, qua illi invidebat.

4. NATOS] *Nati* hic de ranis. De pullis apri lib. 2. fab. 4.

5. LATIOR] Major, altior.

6. NEGARUNT] Reſponderunt non eſſe tam latam.

7. NISU] Opera, labore, conatu.

8. QUIS] *Quis* hic valet *uter*. Virg. 12. Æn. verſ. 657.

Muſſat Rex ipſe Latinus
Quos generos vocet, aut quæ ſeſe ad fœdera flectat.

Ubi Servius, *Quos* pro *utros*. Sic & Græci. Vid. Pricæus ad Matth. pag. 185.

9. NOVISSIME] Ultimo.

10. JACUIT] Hoc verbum addit, ut contemtum Ranæ ſuperbæ exprimat. Fab. 27. *O canis, merito jaces.*




RANA RUPTA. ET BOS.
FAB. XXIV.
CANIS ET CROCODILUS.
FAB. XXV.
VULPIS. ET CICONIA.
FAB. XXVI.
CANIS. ET THESAURUS. ET VULTURIUS.
FAB. XXVII.
VULPIS. ET AQUILA.
FAB. XXVIII.
ASINUS. IRRIDENS APRUM.
FAB. XXIX.
J. h. Bruen fecit et del.

FAB. XXV.

CANIS ET CORCODILUS.

CONSILIA qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, & deridentur turpiter.
¶ Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Corcodilis ne rapiantur, traditum eſt.
Igitur quum currens bibere cœpiſſet Canis,
Sic Corcodilus: Quam libet lambe, otio
Pota, atque accede Nilo temere, de dolo
Noli vereri. At ille: Facerem mehercule,
Niſi eſſe ſcirem carnis te cupidum meæ.

AD FAB. XXV.

3. CURRENTES] Hinc natum proverbium, *Tanquam canis e Nilo.*

NILO] Fluvio Africæ maximo & notiſſimo.

4. CORCODILIS] Corcodilus Ægypti animal quadrupes.

5. CANIS] Canis quidam.

6. QUAM LIBET] Quantum libet.

OTIO] Sine metu. Belg. *Op uw gemak.* Terentius dixit, *Otium ad potandum habere.*

7. TEMERE] Audacter, ſine periculi metu. Ut enim hoc loco Corcodilus, ſic plane I. 2. fab. 2. Leo viatorem invitat æque timidum,

Non eſt quod timeas, ait,
Et quæ debetur pars tuæ modeſtiæ,
Audacter tolle.

Ubi Leo dicit AUDACTER, quod Corcodilus TEMERE. Sic apud optimos ſcriptores *Temeritas* pro audacia ſumitur.

8. MEHERCULE] Formula jurantis elliptica, ut fere fit in talibus. Tota eſt: *Ita me Hercule juva.*

FAB. XXVI.

VULPIS ET CICONIA.

NULLI nocendum: ſi quis vero læſerit,
Mulcandum ſimili jure, fabella admonet.
¶ Vul-

AD FAB. XXVI.

2. MULCANDUM] Scilicet, eum eſſe. *Mulcandus* autem pro puniendus quovis modo.

¶ Vulpes ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitaſſe, & illi in patena liquidam
Poſuiſſe ſorbitionem, quam nullo modo
Guſtare eſuriens potuerit Ciconia:
Quæ vulpem quum revocaſſet, intrito cibo
Plenam lagonam poſuit: huic roſtrum inſerens
Satiatur ipſa: torquet convivam fame:
Quæ quum lagonæ fruſtra collum lamberet:
Peregrinam ſic locutam volucrem accepimus:
Sua quiſque exempla debet æquo animo pati.

3. VULPES] Licet ſcribamus paſſim *Vulpis*, cum optimis libris: tamen revocandum hoc loco *Vulpes*, ne exitium ſit verſui. Qui tamen non inconcinnius ſic poterat conſtitui,

Ad cœnam Vulpis dicitur Ciconiam.

Sed qua auctoritate id faciemus?

5. POSUISSE] Proprie de ferculis, id eſt, appoſuiſſe.

SORBITIONEM] Juſculum aliquod. Vide Camerar. fab. 209.

7. REVOCASSET] Viciſſim vocaſſet, iterum vocaſſet.

INTRITO] Comminuto. Panis intritus & friatus in aquam & vinum. Huc refer illud Ter. Phorm. 2. 1. 4.

Tute hoc intriſti, tibi omne eſt exedendum.

9. TORQUET] *Torquere* hic eſt, ægre alicui facere.

10. COLLUM] Petronius Satyrico *amphorarum cervices* dixit.

11. PEREGRINAM] Ciconiam, quæ quotannis peregre abire ac reverti ſolet. Publius Syrus apud Petronium,

Ciconia etiam grata, peregrina hoſpita.

12. SUA QUISQUE] Active. Exempla, quæ quis ſtatuit in alios, quæ aliis fecit.

FAB. XXVII.

CANIS, ET THESAURUS ET VULTURIUS.

HÆC res avaris eſſe conveniens poteſt,
Et qui humiles nati dici locupletes ſtudent.

¶ Hu-

AD FAB. XXVII.

Cum hac Fabula confer quod Horatius narrat de Opimio ægrotante, Sermon. lib. 2. Sat. 3.

1. RES] Fabulam, fabellam, narrationem, argumentum, & jocum alias vocat.

ESSE CONVENIENS] Convenire poteſt.

2. HUMILES] Humiles opponuntur hic locupletibus, nati in humili & tenui fortuna, pauperes.

STUDENT] Ter. Hec. 2. 1. *Ut omnes mulieres æque eadem ſtudeant.*

3. EF-

¶ Humana effodiens oſſa, theſaurum Canis
Invenit: & violarat quia Manes Deos,
Injecta eſt illi divitiarum cupiditas,
Pœnas ut ſanctæ religioni penderet.
Itaque aurum dum cuſtodit, oblitus cibi
Fame eſt conſumptus: quem ſtans Vulturius ſuper
Fertur locutus: O Canis, merito jaces,
Qui concupiſti ſubito regales opes,
Trivio conceptus, & educatus ſtercore.

3. EFFODIENS] Cibi ſc. gratia: oſſibus enim delectantur.

4. MANES] Per Deos Manes intelliguntur oſſa & cineres. Hinc monumentis inſcribi ſolitum D. M. vel D. M. S. *Diis Manibus Sacrum.*

5. INJECTA] Velut a diis, & in reſpectu ad ultionem.

6. RELIGIONI] Violatæ religioni ſepulcrorum. Antiquitus enim grande erat piaculum violare religionem ſepulcrorum, & ſævire in mortuos. Ita Cic. de Leg. *Deorum Manium jura ſancta ſunto.* Et Virg. 3. Æneid.

Quid miſerum, Ænea, laceras? jam parce ſepulto.
Parce pias ſcelerare manus.

Cæterum *Religio* dicitur de omnibus iis, quæ religioſe debent obſervari & cuſtodiri. Sic etiam de jurejurando, de judice, de ſacris, & ceremoniis, de portentis, prodigiis & teſtamentis.

8. VULTURIUS] Antique pro *vultur.*

9. JACES] De contemtu dicitur, ut ſupra f. 24. Hujus libri fabula ultima eſt, *Merito plectimur.* Et in Appendic. Fabular. *Merito cædimur.*

10. QUI CONCUPISTI] Vid. Muretus in Obſervationib. juris cap. 5.

REGALES] Majores quam privatas & tibi competentes, maximas. Juſt. 2. 15. *Caſtra referta regalis opulentiæ.*

11. TRIVIO] In trivio. Sic inf. fab. ſeq. poſuit *nido* pro in nido. *Trivium* hic ſignificat viam in genere. Alias eſt, ubi tres viæ concurrunt.

EDUCATUS] Nutritus ſordibus. In triviis enim omnes ſordes & purgamenta abjiciebantur. Vid. lib. 4. f. 17.

FAB. XXVIII.

VULPIS ET AQUILA.

QUAMVIS ſublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet ſolertiæ.

¶ Vul-

AD FAB. XXVIII.

1. QUAMVIS] Licet ſint ſublimes aliqui, tamen debent humiles metuere.

2. VINDICTA] Quia ſolertes, quantumvis humiles, ſuo tempore ſciunt vindictam ſumere.

3. Sus-

¶ Vulpinos catulos Aquila quondam ſuſtulit,
Nidoque poſuit pullis eſcam ut carperent.
Hanc perſecuta mater, orare incipit,
Ne tantum miſeræ luctum importaret ſibi.
Contemſit illa, tuta quippe ipſo loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circundedit,
Hoſti dolorem damno miſcens ſanguinis.
Aquila, ut periclo mortis eriperet ſuos,
Incolumes natos ſupplex Vulpi tradidit.

FAB.

3. SUSTULIT] Secum vexit in ſublime.

4. NIDOQUE] Pullis ſuis appoſuit.

ESCAM] Ut illis catulis veſcerentur. *Carpere* enim pro diſcerpere de cibis dicitur.

5. PERSECUTA] Hoc verbum notat ſollicitudinem & feſtinationem.

6. IMPORTARET] Afferret. Ita Cicero dixit *ægritudines importare.* Livius lib. XXIV. *Diſcordia civilis quas importet clades.* Idem lib. XXXIX. *Ne quid conjurationes fraudis occultæ aut periculi importarent.* Ita Cæſar, & alii paſſim.

7. LOCO] Sublimi arbore.

8. VULPES] Hic iterum retinendum *Vulpes*, non *Vulpis*, verſus cauſa, ut fab. 26.

ARDENTEM] Non otioſum eſt *ardentem.* Sic enim Virgilius locutus fuerat,

Ardentem dare viſa facem.

Neque aliter veteres. Homerus in fine lib. I. Odyſſ.

Τῷ δ' ἄρ' ἅμ' αἰθομένας δαΐδας φέρε.

Fax enim proprie eſt fruſtum e disjecta arbore picei generis, quod alendo igni inſerviebat. His facibus ſive fruſtis picei ligni exſtruebatur vulgo & alebatur ignis, tam in aris deorum, quam in privatorum focis.

10. DOLOREM] Et dolore hoſtem affecit & damno.

SANGUINIS] Prolis, pullorum. Ita Anchiſes apud Virgilium lib. 6. vocat Æneam *ſanguinem ſuum.*

Projice tela manu ſanguis meus.

Uti & Horat. in carmine ſæculari:

Clarus Anchiſæ Veneriſque ſanguis.

Aliter hanc Fabulam narrat Camerar. Vide eum fab. 1. & cum eo facientem Faërnum p. 119. Vide & Æſop. fab. 1.



AD

FAB. XXIX.

ASINUS IRRIDENS APRUM.

PLERUMQUE ſtulti riſum dum captant levem,
Gravi deſtringunt alios contumelia,
Et ſibi nocivum concitant periculum.
¶ Aſellus Apro quum fuiſſet obvius;
Salve, inquit, frater. Ille indignans, repudiat
Officium, & quærit cur ſic mentiri velit.
Aſinus demiſſo pene: Si ſimilem negas
Tibi me eſſe, certe ſimile eſt hoc roſtro tuo.
Aper quum vellet facere generoſum impetum,
Repreſſit iram: &, Facilis vindicta eſt mihi:
Sed

AD FAB. XXIX.

1. LEVEM] Exiguum, parvum.

2. DESTRINGUNT] Sic lib. 4. fab. 6. *Naſute ſcripta deſtringis mea.* Et Ovid. 2. Triſt. *Non ego mordaci deſtrinxi carmine quenquam.*

3. NOCIVUM] Nocens, noxium, damnoſum. Infra, *miſericordiam nocivam.*

6. OFFICIUM] Humanitatem, civilitatem, officium ſalutationis.

CUR SIC] Cur tam impudenter mentiatur. Veteris elegantiæ locutio eſt a tironibus animadvertenda. Val. Max. lib. 7. 3. *Ne cum univerſa Romanorum acie confligere vellent.*

7. DEMISSO] *Demittere* hic eſt promittere, exertum ſcil.

8. HOC] *Hoc*, id eſt, penis. *Roſtro* autem, propter eminentiam glandis. Illud *hoc* cum ſono eſt pronunciandum, nam habet vim demonſtrantis, & velut digitum intendentis: ut ap. Terent. Heat. *Luceſcit hoc jam.*

9. GENEROSUM] Dignum genere ſuo.

10. REPRESSIT] Sic Ter. Adelph. *Reprime iracundiam.*

FACILIS] Facillime poſſum vindictam de te ſumere. Subaudiendum *reſpondebat.* Sic Fab. ſeq. *Eſt ſtatio ſeparata.* Et imprimis ſimilis locus lib. 4. fab. 23.

Quid horum ſimile tibi contingit, ruſtica?
Eſt glorioſus ſane convictus Deûm.

Quorum priori verſu adhuc interrogat muſca, poſteriori reſpondere incipit formica.

VINDICTA] Appoſite Virgilius Æneid. lib. XI. 406. ubi Drances a Turno hoc reſponſum accipit:

Numquam animam talem dextra hac
(abſiſte moveri)
Amittes: habitet tecum & ſit pectore
in iſto.

Ubi vide Servium. Vid. & Martial. Epigr. XXIII. & alia ejuſdem de Lepore & Leone.

Sed inquinari nolo ignavo ſanguine.

11. IGNAVO] Ignavi animantis ſanguine. hoc loco eſt Faërnus, quem vide p. 107. Uti & *Ignavus* hic eſt imbellis, invalidus. Caſtior Camer. f. 192.

FAB. XXX.

RANÆ METUENTES TAURORUM PRÆLIA.

HUMILES laborant, ubi potentes diſſident.
¶ Rana in palude pugnam Taurorum intuens;
Heu quanta nobis inſtat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu quum decertarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam Boves:
Eſt ſtatio ſeparata, ac diverſum genus.
Sed pulſus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in ſecreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet.

FAB.

AD FAB. XXX.

1. HUMILES] Cives. Sic fab. 15. *pauperes*.
LABORANT] Adfliguntur, ſunt in periculo.
POTENTES] Proceres, qui imperium habent in reliquos.

5. GREGIS] *Grex* hic pro armento, per catachreſin.

7. EST] Sc. *Reſpondebat altera*.
STATIO] *Eſt ſtatio ſeparata*, quaſi dicat, illi quidem (nam hæc particula *quidem* ſic ſupplenda eſt, *Eſt ſtatio quidem ſeparata* &c. cui reſpondet mox *ſed pulſus*.) nemora & campos, nos ſtagna & paludes incolimus. Hinc ſup. f. 6. Phædrus vocat lacus ſedem ranarum. Scilicet unicuique animalium ſpeciei ſua ſedes eſt & ſtatio. Sic Virg. 5. Æneid.

Statio gratiſſima mergis.

Hinc quoque explicanda illa ſapientis Graculi ad ſuperbientem fratrem ſuum reſponſio, quæ eſt Fab. 3.

Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus.

8. PULSUS] Eſt hic pro *expulſus*.
NEMORIS] *Nemus* proprie ſilva pecori alendo.

10. PROCULCATAS] Nos procultatas.

11. CAPUT] Ab eorum pugna & certamine noſtra ſalus pendet.
ITA] Hoc modo, hac ratione. Reſpicit priorem interrogationem, quare ſc. ac quomodo ipſis tantum malum poſſit imminere.

AD













J. Vianen del. et fecit 1701.



FAB. XXXI.

MILUUS ET COLUMBÆ.

QUI ſe committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.
¶ Columbæ ſæpe cum fugiſſent Miluum,
Et celeritate pennæ vitaſſent necem,
Conſilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare ſollicitum potius ævum ducitis,
Quam regem me creatis icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præſtem injuria?
Illæ credentes, tradunt ſeſe Miluo,
Qui regnum adeptus, cœpit veſci ſingulas,
Et exercere imperium ſævis unguibus.

De

AD FAB. XXXI.

1. TUTANDUM] Qui ſe hominis improbi tutelæ committit.

3. COLUMBÆ] Aliter Camerarius, quem vide fab. 202.

4. PENNÆ] Singularis pro plurali, per Synecdoch. Alas intelligit. Seneca Oedipo: *Levis penna ſecat alta cœli.*

5. CONSILIUM] Vim ingenii.

VERTIT] Eo convertit, intendit, dirigit.

7. DUCITIS] Vitam degitis. Quare potius in perpetua anxietate, ſollicitudine & cura vivitis?

8. ICTO] Inito fœdere. *Icere* vero dicitur, ut *ferire fœdus*, quia olim in confirmandis fœderibus victimæ cædebantur, ut porca. de quo Virg.

Cæſa jungebant fœdera porca.

11. SINGULAS] Unam poſt alteram. Vulgo *veſci aliqua re*: ſed & accuſativus invenitur apud Tacitum, Virgilium, Terentium, alioſque.

De reliquis tunc una: merito plectimur.

EXPLICIT LIB. I.

13. DE RELIQUIS] Columba ex reliquis ſuperſtes.

MERITO] Vox eſt culpam agnoſcentis.

PLECTIMUR] Punimur, pœnas damus.

EXPLICIT] Solebant veteres in fine librorum ſcribere EXPLICIT, ſignificare volentes, perventum eſſe ad finem voluminis, quod plane explicatum eſſet & evolutum. Hieronymus ad Marcellam: *Solemus completis opuſculis ad diſtinctionem rei alterius ſequentis medium interponere* EXPLICIT, *aut* FELICITER, *aut aliquid hujuſmodi.* Formula autem hæc videtur eſſe decurtata ab *explicitus* vel *explicitum.* Sic enim Martial. lib. XIV. Epigr. 1.

Verſibus explicitum eſt omne duobus opus.

Quin imo veteres elegantioris notæ Codices adſcriptum habent. *Explicitus eſt liber* &c.



PHÆ-

PHÆDRI FABULARUM LIBER SECUNDUS.

AUCTOR.



XEMPLIS continetur Æsopi
genus,
Nec aliud quicquam per fabellas
quæritur,
Quam corrigatur error ut morta-
lium,
Acuatque sese diligens industria.
Quicunque fuerit ergo narrantis jocus,
Dum capiat aurem & servet propositum suum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem servabo senis:
Sed

AD PHÆDRI FABUL. LIB. II.

PROLOG.

1. GENUS] Pro *genere mortalium* sumitur, ut ordo talis sit: Genus mortalium continetur exemplis Æsopi. Exempla vocat, quæ mox fabulas. *Continetur* autem absolute, pro continetur in officio, coërcetur, docetur: quod proprie est magistrorum.

4. ACUATQUE] Id est *Exerceatque.*

5. JOCUS] Hoc vult, Qualiscunque fuerit jocus, qualiscunque fabula, a quocunque conficta, commendatur ea bonitate rei ac salubritate præceptorum pertinentium ad vitam moresque, non celebritate auctoris. Prol. lib. 3.

Calumniamque fictis elusit jocis,

i. e. fabulis.

6. CAPIAT] Delectet, teneat, admittatur auribus.

7. RE] Ipsa insita auctoritate.

8. MOREM] Consuetudinem.

SENIS] Æsopi, qui honoris causa sic nominatur, ut infra l. 3. f. 3. *Naris emunctæ senex.*

Sed ſi libuerit aliquid interponere;
Dictorum ſenſus ut delectet varietas,
Bonas in partes, lector, accipias velim.
Sic iſta tibi rependet brevitas gratiam,
Cujus verboſa ne ſit commendatio.

10. DICTORUM] Facetiarum, jocorum, fabularum. Senſus eſt: velle ſe quidem eas perſequi, quas habet Æſopus, aliquando tamen etiam inſerere, quas ipſe invenerit.

UT DELECTET] Ut ſimilitudo faſtidium gignit, ſic varietas delectationem affert in quovis rerum genere. Juſtinus præfatione, *Varietate & novitate operis delectatus.*

FAB. I.

JUVENCUS, LEO ET PRÆDATOR.

ATTENDE cur negare cupidis debeas:
Modeſtis etiam offerre quod non petierint.
Super Juvencum ſtabat dejectum Leo.
Prædator intervenit, partem poſtulans:
Darem, inquit, niſi ſoleres per te ſumere:
Et improbum rejecit. Forte innoxius
Viator eſt deductus in eundem locum,
Feroque viſo rettulit retro pedem.

Cui

AD FAB. I.

Feſtivum eſt, quod ad hanc fabulam narrat Freinshemius de Ludouico XI. Galliarum Rege.

2. MODESTIS] Opponuntur hic modeſti *cupidis* petacibuſque, atque intelliguntur tales, qui modicis ſunt contenti.

3. STABAT] Inſtar victoris.

DEJECTUM] Victum & proſtratum. C. Nepos Thraſ. c. 3. *In ſecundo prælio cecidit Critias. Hoc dejecto, Pauſanias venit Atticis auxilio.*

6. REJECIT] Ei negavit, quod petierat, cum contemtu & aſpernatione.

INNOXIUS] Active ſumitur pro eo, qui nemini nocet, ut opponatur *improbo*, id eſt, violento.

7. EST DEDUCTUS] Incidit forte fortuna in eundem locum.

8. FEROQUE] Leone viſo.

RETTULIT RETRO] Receſſit. Geminatio hæc (nam *rettulit* ſufficiebat) bonis auctoribus eſt familiaris. Virg. Æn. li. 9.

Haud aliter retro dubius veſtigia Turnus
Impro-

Cui placidus ille: Non eſt quod timeas, ait,
Et quæ debetur pars tuæ modeſtiæ,
Audacter tolle. Tunc diviſo tergore,
Silvas petivit, homini ut acceſſum daret.
¶ Exemplum egregium prorſus & laudabile;
Verum eſt Aviditas dives, & pauper Pudor.

Improperata refert.
Idem 2 Æneid.
Ex illo fluere & retro ſublapſa referri.

NON EST] Non eſt quicquam in cauſa, propter quod. Ellipſis.

10. ET QUÆ] Senſus eſt: Non eſt quicquam quod timeas; potius hic ex præda pars eſt aliqua, quæ debetur modeſtiæ tuæ; eam tolle.

11. AUDACTER] Abſque timore, aut perturbatione: confidenter, libere.

TERGORE] Corpore juvenci diviſo.

14. VERUM] Hoc vult: Licet ſit laudabile præſens exemplum, pauci tamen id ſequuntur, nempe quia paupertas cum pudore juncta eſt: at qui avidi ſunt, divitias, & cum iis cætera conſequuntur.

FAB. II.

ANUS DILIGENS VIRUM ÆTATIS MEDIÆ, ITEM PUELLA

A Fœminis utcunque ſpoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis diſcimus.
¶ Ætatis mediæ quendam mulier non rudis
Tenebat, annos celans elegantia;

Ani-

AD FAB. II.

1. UTCUNQUE] Quovis modo, prout poteſt fieri. Ter. And. 4. 3. 20.

Tu ut ſubſervias
Orationi, utcunque opus ſit, verbis, vide.

SPOLIARI] Proprie. Sic vetula Terentiana hortatur & monet meretriculam,

Ne cujuſquam miſereat,
Quin ſpoliet, mutilet, laceret, quenquam nacta ſit.

Hecyr. 1. 1. 7.

2. AMENT, AMENTUR] Omiſſa eſt præpoſitio *Sive.*

3. ÆTATIS MEDIÆ] Inter juvenilem & ſenilem.

4. TENEBAT] *Tenere* hoc loco eſt *poſſidere*, in ſua poteſtate habere, ut apud Virg. Æneid.

Genitor tum Belus opimam
Vaſtabat Cyprum & victor ditione tenebat.

Nepos Miltiade c. 1. *Nam tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum.* Eleganter vero & proprie illud verbum de meretriciis amoribus uſurpatur. Senſus eſt:

Mulier

Animoſque ejuſdem pulchra juvenis ceperat.
Ambæ videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere cœpere invicem.
Quum ſe putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus eſt; nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

Mulier non rudis (ſive ut Naſo lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Jucundo non ruſtica cognita furto)

tenebat quendam, ſc. amore obſtrictum ſibi, velut vinculis. Virg. Eccl. 1.

Cum me Galatea tenebat.

Plura exempla adferre nihil attinet, cum ubivis ſint in promtu.

ELEGANTIA] Cultus & ornatus.

5. ANIMOSQUE] Et ipſe diligebat puellam.

JUVENIS] Juvencula, puella.

6. PARES] Similes. Refertur ad externam ſpeciem vel ætatem.

7. LEGERE] Cœperunt ſeligere una canos, altera nigros evellendos.

8. FINGI] Ornari. Alii legunt *pingi*, & exponunt quoque *ornari*. Certe infra eſt *picte ſcribere*, id eſt ornate. Nec videtur multum abludere noſter Belgice loquendi modus: *Het is zoo net, of 't geſchildert was.* Et conſtat canos colorari ſolitos a veteribus. Quod præſtant hoc etiam tempore pectines plumbei, quibus uſus quoque eſſe dicitur, cum jam ad ſenium vergens novam ſibi conditionem quæreret, Muſarum illud delicium, & ornamentum quondam Leidenſis Academiæ Dominicus Baudius. Poſſunt ea de re videri Epigrammata Petri Scriverii in *Amoribus Baudii*, ab Scriverio editis.

CURA] *Cura* eleganter dicitur de capillis, cum aliquis in iis ornandis diligens eſt. Uti contra de negligente *Incuria*. Apulej. in Apologia, *Capillus prorſus inenodabilis diutina incuria.*

FAB. III.

HOMO ET CANIS.

LACERATUS quidam morſu vehementis Canis,
Tinctum cruore panem miſit malefico,

Au-

AD FAB. III.

1. LACERATUS] Confer Æſopi Fab. 25.

VEHEMENTIS] Ira concitati. Miror Rittershuſium, quem ſequitur Petrus Danetus, hic advocare Synizeſin, id eſt, duarum ſyllabarum contractionem in unam, cum nihil ſit neceſſe. Hic verſus quarta ſede recipit dactylum, qualis primus hujus libelli,

Æſopus auctor quam materiam repperit.

Niſi quis velit *materiam* facere trium ſyllabarum, quod ridiculum. Aliter res ſe habet in locis Horatii & Catulli, quæ adferuntur ab interpretibus. Quod ſciunt qui callent artem metricam.

2. MISIT] Projecit ipſi. Ita ſup. lib. 1. 23. 3.

Nocturnus quum fur panem miſiſſet cani.

Et lib. 3. 2. 5.

Perituræ quippe, quamvis nemo læderet,
Miſere panem, ut ſuſtineret ſpiritum.

MALEFICO] Qui malum fecerat, qui morſu læſerat.

6. TALE]

Audierat eſſe quod remedium vulneris.
Tunc ſic Æſopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Quum ſcierint eſſe tale culpæ præmium.
¶ Succeſſus improborum plures allicit.

6. TALE] Tam bonum magnumque præmium culpæ eſſe.
7. SUCCESSUS] Appoſite Livius l. 22. 12. *Quæ peſſima ars nimis proſperis multorum ſucceſſibus crevit.*

FAB. IV.

AQUILA, FELES, ET APER.

AQUILA in ſublimi quercu nidum fecerat:
Feles cavernam nacta in media pepererat:
Sus nemoricultrix fœtum ad imam poſuerat.
Tum fortuitum Feles contubernium
Frau-

AD FAB. IV.

1. IN SUBLIMI] In ſublimitate quercus, in ſummo ejus. Sic & mox ſequitur, *In media quercu*, quod ſimiliter eſt, in medietate ejus. Mox etiam, *ad imam*, id eſt, ima arboris parte. Sic loquuntur auctores. Terent. Prol. Adelph. verſ. 9. *prima fabula.* & Heaut. 5. 1. 29. *ultimis ædibus.* Plaut. Curc. 4. 1. 14. *in foro infimo.* & Ciſtell. Act. 5. in fine: *poſtrema comœdia.*

2. CAVERNAM] Caverna arboris, cavum, rima, foramen.

3. NEMORICULTRIX] Cultrix nemoris. Sic eſt *genus altivolantum* apud Ennium. *Pietaticultrix*, *gracilipes* apud P. Syrum. Veteres enim in hujuſmodi nominum compoſitione ſibi mire placebant, imitati Græcorum libertatem. Sic invenias, *pennipotentum*, *caprigenum*, *noctivaga*, *veſticontubernium*, *pudoricolorem*, & alia ejus generis.

4. FORTUITUM] Statuunt quidam tertiam hujus vocis ſyllabam eſſe ancipitem, alii etiam brevem. Sed falluntur. Horat. Odar. l. 2. 15.

Nec fortuitum cernere ceſpitem
Leges ſinebant.

Cum eo faciunt duo excellentiſſima noſtri temporis ingenia, quæ ipſi antiquitati liceat opponere (quod illis dictum ſit, qui putant omnem Poëticæ venuſtatem & munditiem cum veteribus intercidiſſe) Dominicus Baudius & Jacobus Wallius. Baudius quidem Jambicorum lib. IV.

Ut fortuita voce proditum videt
Suumque crimen, dedecuſque virginis.

Wallius autem Lyricor. l. 2. Od. 1.

Quid intereſt, ut frigus, & ſparſas nives
Solemque, & imbres arceas,
Domumne ceſpes fortuitus exſtruat,
An gentis alienæ lapis?

Fraude & ſceleſta ſic evertit malitia.
Ad nidum ſcandit volucris: pernicies, ait,
Tibi paratur, forſan & miſeræ mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum inſidioſum, quercum vult evertere,
Ut noſtram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuſo & perturbatis ſenſibus,
Derepit ad cubile ſetoſæ ſuis;

Magno

Et quod videtur interdum eſſe brevis, id nihil eſt. In itiuſmodi enim locis attendendum eſt ad craſin, qua hæc vox fit trium ſyllabarum. Idem obſervandum eſt in *gratuitus*. Statius quidem tertiam hujus vocis corripuit, atque ita quidem, ut contractio non poſſit admitti, in noto Phalæcio, l. 1. Silvar.

Largis gratuitum cadit rapinis.

Sed ille multa ſibi permiſit, quæ non temere reperias in optimi ævi poëtis. Melius idem Baudius Jambicor. l. 3 ad Joannem Hotomannum:

Laudes profundunt gratuitas, ſed meras
Laudes.

Vid. Jan. Douſ. Præcid. ad Petron. l. 2. c. 16. Torrentium & Cruquium ad memoratum Horatii locum, & Gerard. Joann. Voſſium in de Arte Gramm. l. 2. cap. 37.

6. VOLUCRIS] Id eſt, aquilæ.

7. MISERÆ] Infauſtæ, infelici.

8. FODERE TERRAM] Dicitur hoc de animalibus terram roſtro aut pedibus effodientibus. Sic lib. 1. fab. 27. *Humana effodiens oſſa.*

QUOTIDIE] Brevem eſſe ait Danetus ſecundam in hac voce ſyllabam, at aliquando produci. Hoc loco longam eſſe patet ex dimenſione: uti & in fine lib. IV.

Nam vita morti propior eſt quotidie.

Et lib. 3. fab. 8. verſ. 14.

Quotidie, inquit, ſpeculo vos uti volo.

Cæteroquin eſt anceps, ut patet in *quotidianus*, pro quo Catullus, ut primam produceret, dixit *cottidianus*, carm. LXIX. ad Malium verſ. 139.

Conjugis in culpa flagravit cottidiana.

Hic ſecunda eſt correpta, quam Martialis longam facit l. x. Epigr. 65.

Levis dropace tu quotidiano.

Et lib. XI. Ep. 1.

Cultus ſindone tu quotidiana.

9. APRUM INSIDIOSUM] Neſcio cur hoc epitheton ſollicitet Danetum, præferentem *inſidioſam*, cum ſermo ſit de ſue fœmina. Hoc nomen eſt ex iis, quæ maribus & fœminis ſine diſcrimine ſexus convenientia, Epicœna vocantur, & unum tantum habent genus, quod cognoſcitur ex regula de terminatione: ut *hic paſſer, hæc vulpis*. Talia ſunt *liberi*, *catulus* & alia multa. Itaque de filiabus dicimus, *Liberos noſtros*, non *noſtras*: ac fœmellam catulum, *egregium catulum*, non *egregiam*. & ſic in aliis.

QUERCUM] Elliptica oratio ex conſuetudine metuentium. Integra ſic haberet: Per id, quod vides fodere, vult evertere. id eſt, hoc eſt propoſitum ejus negotii, quod vides eum ſuſcepiſſe; per eam foſſionem vult quercum evertere.

10. IN PLANO] Humi dejectam progeniem. Nam *in plano* eſt, in ſolo.

PROGENIEM] Fœtum, catulos, pullos.

11. OFFUSO] Verba hæc non ſelem reſpiciunt, ſed aquilam, ut ſit ſenſus: Poſtquam ita Feles Aquilæ offudiſſet terrorem, ejuſque perturbaſſet ſenſus, derepit &c. *Offundere terrorem* elegantiſſime dicuntur, qui ex improviſo terrorem ingentem afferunt.

12. DEREPIT] Inde repit ab aquila deorſum. Sic *degredi* pro deſcendere dicitur.

CUBILE] *Cubile* eſt pro luſtro. Sic lib. 1. 19.

Flagitare validius
Cubile

Magno, inquit, in periclo ſunt nati tui:
Nam ſimul exieris paſtum cum tenero grege,
Aquila eſt parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore poſtquam complevit locum,
Doloſa tuto condidit ſeſe cavo.
Inde evagata noctu ſuſpenſo pede,
Ubi eſca ſe replevit & prolem ſuam,
Pavorem ſimulans proſpicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis deſidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia ſunt conſumpti cum ſuis.
Feliſque catulis largam præbuerunt dapem.
¶ Quantum homo bilinguis ſæpe concinnet mali,
Documentum habere ſtulta credulitas poteſt.

FAB.

Cubile cœpit.
& lib. 3. fab. 2. 11.
Et in cubile concito properat gradu.

13. NATI] Catuli. Sic & Virg. de iiſdem dixit lib. 3.
Albi circum ubera nati.

14. SIMUL] Statim, ſimulatque exieris.

TENERO GREGE] Teneris tuis catulis, porcellis, ut mox.

16. LOCUM] Cubile ſuis intelligit.

17. CONDIDIT] Abſcondidit. Ita Fab. 6. hujus libri verſ. 6. *condita.* & Fab. 8. verſ. 4. *Se bubili condidit.*

CAVO] Supra dixit *cavernam.*

18. SUSPENSO] Leni, tacito, ut ambulans non poſſet exaudiri. Sic *ſuſpenſo gradu placide ire* dixit Ter. Phorm. 5. 6.

20. PROSPICIT] Circumſpectat, ac ſi & ipſa non auderet egredi, atque obſervaret moliones ſcrophæ.

21. DESIDET] Jugiter conſidet. Metum notat hæc vox.

23. QUID MULTA?] Formula uſurpari ſolita, cum rem in pauca conferimus. Sic & illa: *Quid verbis opus eſt? Quid multis opus eſt? Quid tibi multa dicam?* &c.

25. BILINGUIS] Fallax, duplex, fraudulentus. Virg. 1. Æn. *Tyrioſque bilingues.* Plaut. Pœn. 5. 2. *Biſulci lingua.*

26. CREDULITAS] Locutio noſtro familiaris. Homines ſtulte creduli.

FAB. V.

CÆSAR AD ATRIENSEM.

Est ardelionum quædam Romæ natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta, & aliis odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Vera fabella: pretium est operæ attendere.
¶ Cæsar Tiberius, quum petens Neapolim,
In Misenensem villam venisset suam,
Quæ monte summo posita Luculli manu,
Prospectat Siculum & prospicit Tuscum mare,

Ex

AD FAB. V.

1. ARDELIONUM] Hi sunt, qui se omnibus negotiis immiscent, ab *ardendo* dicti, quod pro *festinando* usurpârunt veteres. Itaque cum sint avidi negotiorum inquietique, semperque cursitent festinentque, tanquam magni aliquid habeant agendum, ardeliones nominantur. Sunt qui dictos existimant ab Ardea avi, quia avis hujus instar huc & illuc volitant & circumcursant, dum omnibus se negotiis student immiscere. Vid. Voss. Etymologic.

NATIO] Genus quoddam hominum. Sic fere Terent Eun. 2. 2. 17.

2. TREPIDE] Cum dubitatione & incertitudine causæ ac propositi.

CONCURSANS] Huc illuc cursitans.

3. GRATIS ANHELANS] *Anhelans* hic negotiosum occupatumque denotat, qui ob discursationes crebras spiritum ægre ducit. *Gratis* autem *frustra* est, vel nullo cum fructu, nullo cum effectu, *nihil agens*, ut mox sequitur.

6. VERA FABELLA] Vide quid dictum sit ad præfat. Libri 1. ubi *fictæ fabulæ*.

ATTENDERE] Attendere ad eam animum.

7. PETENS] Proficiscens ad urbem Neapolim.

NEAPOLIM] Urbem Campaniæ maritimam, regni Neapolitani caput, ac totius Italiæ clarissimam, prius Parthenopen dictam.

8. IN MISENENSEM] Domum suam rusticam, a Miseno Æneæ socio sic dictam. In hac Tiberius etiam mortuus est.

9. MONTE] In monte summo, in summa montis parte. Vid. Fab. IV.

POSITA] Exstructa, ædificata. Eleganter de ædificantibus. Sic l. 3. f. 9.

Quæso tam angustam talis vir ponis domum?

LUCULLI] Summi & fortunatissimi Romanorum legati.

10. PROSPECTAT] Ex alto eminens nec totum spectat. Quædam frequentativa rei difficultatem exprimunt.

SICULUM] Quod a Sicilia Cretam usque excurrit.

TUSCUM]













J. Brauer del. et fecit 1701

Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,
Perambulante læta Domino viridia,
Alveolo cœpit ligneo conspergere
Humum æstuantem; come officium jactitans:
Sed deridetur: inde notis flexibus
Præcurrit alium in xystum, sedans pulverem.
Agnoscit hominem Cæsar, remque intelligit.
Id ut putavit esse nescio quid boni,
Heus, inquit Dominus. Ille enimvero adsilit:
Donationis, alapæ certe, gaudio.
Tum sic jocata est tanti majestas Ducis:

Non

TUSCUM] Vulgo, *Mer de Toscane.*

11. ALTICINCTIS] Negotiosos intelligit. Tales namque cingere vestes alte solent, ne impediantur inter discurrendum. Horat. lib. 2.

Puer alte cinctus acerram
Gausape purpureo mensam perterset.

Consule Ferrarium de re vestiaria. 3, 7. Pign. de Servis p. 271. & ad ea quæ sequuntur p. 461.

ATRIENSIBUS] Qui stabant in atrio domus, limenque custodiebant. Vid. T. Popma de operis servor. p. 36.

12. PELUSIO] Pelusium erat ostium Nili & civitas Ægypti feraciissima lini, ex quo conficiebantur lintea.

13. DESTRICTA] Colligata, & quasi consuta.

CIRRIS] Hos cirros sunt qui accipiant de plicis tunicæ. Alii putant esse fimbrias, oris extremis vestium solitas assui. Vid. Pignorium de servis p. 461. Sed vid. & Ferrar. de re vestiaria part. 2. l. 1. p. 39.

14. VIRIDIA] Loca arboribus virentibus, herbis, & graminibus consita.

15. ALVEOLO] Ligneo vase, ex uno caudice excavato.

16. OFFICIUM] Ministerium. Jactans officii sui elegantiam munditiamque.

17. FLEXIBUS] Compendiis viarum: notis divortiis. Virg. Æneid. 9.

Objiciunt equites sese ad divortia nota.

18. XYSTUM] Locum deambulationibus faciendis adornatum, consitis utrinque platanis. Dicitur & neutro genere *Xystum.*

SEDANS] Aqua consperса, ne pulvere fœdaretur.

19. HOMINEM] Hominis vanitatem negotiosam perspicit.

REMQUE] Animum, consilium ardelionis, qui hoc factitabat gratiæ & libertatis obtinendæ causa.

21. DOMINUS] Tiberius. Sic imperatores nominabant.

23. DUCIS] *Domini*, ut paulo ante.

Non multum egiſti, & opera nequicquam periit;
Multo majoris alapæ mecum veneunt.

24. OPERA] Laborem inutilem præſtitiſti, fruſtra ſudaſti.

PERIIT] Notum eſt illud de ave quadam ad Auguſtum Cæſarem: *Opera & impenſa periit.* Cæterum ut metri ratio hic collocetur in tuto, contractio eſt adhibenda, quo τὸ *periit* ſit diſyllabum. pro quo *perit* habent Meurſius & Freinshemius. Melius ſcripſiſſent *perIt.*

25. ALAPÆ] *Alapæ* pro libertate. Apud veteres enim, quando aliquem manu mittebant, alapa percuſſum circumagebant, & liberum confirmabant apud prætorem. Et ſic patebit ſenſus verſus 22.

Donationis, alapæ certe, gaudio.

ubi *alapa* per Metonymiam libertatem deſignat. *Certe* vero, quod ibi ſequitur, ſignificat *ad minimum*, Belg. *ten minſte, voor het minſte.* Quomodo apud Terent. Andria 4. 1. 16.

Atque aliquis dicat, Nihil promoveris.
Multum, moleſtus certe ei fuero.

MECUM] Domi meæ. Hoc dicit: Meæ domus ea diſciplina eſt, ut non tam facile, tamque parvo ſervi manumittantur.

VENEUNT] Venduntur. Libertas tam exiguo pretio a me non venditur.

FAB. VI.

AQUILA, CORNIX, ET TESTUDO.

CONTRA potentes nemo eſt munitus ſatis:
Si vero acceſſit conſiliator maleficus,
Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit.
¶ Aquila in ſublime ſuſtulit Teſtudinem,
Quæ quum abdidiſſet corneâ corpus domo,
Nec ullo pacto lædi poſſet condita,
Venit per auras cornix, & propter volans:
Opi-

AD FAB. VI.

2. SI VERO] Ter. Andria 1. 2. 18.

Si quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum.

Quod idem eſt. Nam infra cornicem vocat etiam *Magiſtram.*

ACCESSIT] Ad illos potentes.

3. VIS] Quicquid eſt, quod vis & nequitia oppugnant, id ruit, ſi acceſſerit ad potentem conſiliator maleficus. Jungit auctor potentem, & conſiliatorem maleficum. Huic nequitiam, illi vim tribuit. Conjuncta iſta ait ſi oppugnent, quicquid ſit, quamvis tutum ſe putet, ruere.

4. AQUILA] Aliter refert Camerarius fab. 196.

5. DOMO] Ponitur *domus* pro teſta cornea, qua teſtudines muniuntur.

6. CONDITA] *Tuta*, ut infra. Abſcondita. ſic libri hujus fab. 8. *condidit.*

7. PER AURAS] Per aëra.

PROPTER] Sc. aquilam, id eſt, juxta, in vicinia

Opimam ſane prædam rapuiſti unguibus,
Sed niſi monſtraro, quid ſit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te laſſabis pondere.
Promiſſa parte, ſuadet ut ſcopulum ſuper
Altis ab aſtris duram inlidat corticem,
Qua comminuta facile veſcatur cibo.
Inducta verbis Aquila, monitis paruit.
Simul & magiſtræ large diviſit dapem.
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit triſti nece.

vicinia, in propinquo. Sic utuntur melioris ævi poëtæ. Virg. in Eclogis,

Propter aquæ rivum.

VOLANS] Scilicet, *dixit:* vel, *ſic aquilam allocuta eſt.*

8. OPIMAM] Pinguem, delicatam.

10. NEQUICQUAM] Fruſtra, abſque fructu. ſic ſup. fab. 5.

12. ALTIS AB ASTRIS] Poëtice, pro, e ſublimi, ex ſumma parte aëris.

CORTICEM] Abuſive pro teſta. Supra *corneam domum.*

14. INDUCTA] Sc. ad credendum. C. Nepos Conone c. 3. *Nec facile ad credendum inducebatur.*

15. MAGISTRÆ] Cornici, quæ tanquam magiſtra eam docuerat, qua ratione eſca ſua poſſet veſci. Vide notam ad verſum 1.

DIVISIT] Partes promiſſas dedit. Vid. Gronov. ad Statii Silvas c. 13. p. 71.

16. SIC TUTA] Sic *quæ nullo pacto lædi poſſet condita*, ut eſt verſ. 6.

TRISTI] Gravi. Sic fab. 2. lib. 1. & fab. 3. verſ. 11.

FAB. VII.

MULI ET LATRONES.

MULI gravati ſarcinis ibant duo.
Unus ferebat fiſcos cum pecunia.
Alter

AD FABULAM VII.

1. MULI] Muli antiquis temporibus frequenter adhibiti ad hoc opus, ut ferrent onera in dorſo. Vid. Scheffer. de re vehiculari lib. 1. c. 8.

2. FISCOS] Corbes ſparteos, in quibus recondebant Romani pecuniam publicam & imperatoriam.

4. CEL-

Alter tumentes multo ſaccos hordeo.
Ille onere dives, celſa cervice eminens,
Clarumque collo jactans tintinnabulum:
Comes quieto ſequitur & placido gradu.
Subito latrones ex inſidiis advolant,
Interque cædem ferro mulum truſitant,
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur caſus quum fleret ſuos,
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo.
Nam nihil amiſi, nec ſum læſus vulnere.
¶ Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas,
Magnæ periclo ſunt opes obnoxiæ.

FAB.

4. CELSA] Sublata in altum, ut fit a ſuperbientibus.

5. COLLO] Solebant ſuſpendere tintinnabula ex collis mulorum, ut occurſum eorum evitare poſſent equi. Hic mulus unum habet tintinnabulum. Apuleji ille plura, præter cætera ornamenta. Audi ſic loquentem lib. 10. *Me phaleris aureis, & fucatis ephippiis, & purpureis tapetis, & frenis argenteis, & pictilibus baltheis & tintinnabulis perargutis exornat.*

6. COMES] Alter ille mulus, cum hordeo.

QUIETO] Sine agitatione multa pedum ac tumultu.

7. LATRONES] Fures pecorum, ita dicti quod a latere adoriuntur vel latenter inſidiantur.

8. INTERQUE] Vult primum factam cædem eorum, qui ducebant mulos, velut reſiſtentium.

TRUSITANT] Vox obſoleta. Vulnerant: quod patet ex verſu 12.

Nam nihil amiſi, nec ſum læſus vulnere. Hoc *truſitant* minus probat Danetus, quod tamen in textum recepit, & præferre videtur *tuditant*, Meurſium ſecutus, repugnante metri ratione.

13. HOC ARGUMENTO] Hac fabula demonſtratur pauperes vitam tutam agere.



A D

FAB. VIII.

CERVUS ET BOVES.

CERVUS nemoroſis excitatus latibulis,
Ut venatorum fugeret inſtantem necem,
Cœco timore proximam villam petit,
Et opportuno ſe bubili condidit.
Heic Bos latenti: Quidnam voluiſti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto ſpiritum commiſeris?
At ille ſupplex: Vos modo, inquit, parcite,
Occaſione rurſus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices. 10
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt ſubinde & redeunt omnes ruſtici,
Nemo

AD FAB. VIII.

1. NEMOROSIS] In nemore.
EXCITATUS] Proprie de venatione dicitur.
2. VENATORUM] Necem a venatoribus inferendam.
3. COECO] *Cœcum faciente*, per Metonymiam effecti, qua & Mors pallida dicitur, quia facit homines pallidos.
4. OPPORTUNO] Quod ſe commode offerebat.
BUBILI] Dicitur a *bubus*, contracte pro bovibus: eſtque Adjectivum, in quo ſubauditur *Stabulum*. Vid. Voſſ de Anal. 1, 21.
5. QUIDNAM] Quidnam mali voluiſti tibi parare? Arguendi aliquem formula. Ter. Eun. 3. 5. 11. *Quid tibi vis? Satin' ſanus?* Virg. Ecolog. 2. 58.
Eheu quid volui miſero mihi?
8. PARCITE] Vitam mihi ſervate, ne me prodite.
9. OCCASIONE] Cum occaſio fuerit data.
10. SPATIUM] Nox venit, die exacto.
EXCIPIUNT] Succedunt diei.
11. FRONDEM] Pabulum bubus, quod apud veteres plerumque habebant ex frondibus.
NEC IDEO] Dicit, etiamſi attulerit, dederitque frondem in ſtabulo bubus, tamen non vidiſſe.
12. OMNES] Colonos intelligit, & familiam ejus villæ.

Nemo animadvertit: transit etiam villicus,
Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
Bubus quietis agere cœpit gratias,
Hospitium adverso quod præstiterint tempore.
Respondit unus: Salvum te cupimus quidem;
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit;
Magno in periclo vita versatur tua.
Hæc inter ipse dominus à cœna redit:
Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad præsepe: Cur frondis parum est?
Stramenta desunt. Tollere hæc aranea
Quanti est laboris? Dum scrutatur singula,
Cervi quoque alta est conspicatus cornua,
Quem convocata jubet occidi familia,
Prædamque tollit. ¶ Hæc significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

EPI-

13. ANIMADVERTIT] Cervum ibi latitantem.

VILLICUS] Qui totius villæ habet curam, caput rusticæ familiæ. Vid. Pign. de servis p. 540. & Popm. de oper. serv. p. 33.

14. SENTIT] Animadvertit, ut versu præced.

15. QUIETIS] *Quietis* adjectivum est, non substantivum, conveniens cum bubus. *Quietos* vocat, quod non prodidissent latitantem.

16. HOSPITIUM] Quod securitatem hospitii præstiterint.

18. QUI OCULOS] Herum ipsum ea notat periphrasis, quæ eleganter curam ejus ac perspicaciam depingit, allusione ad Argum, cui centum erant oculi.

19. VERSATUR] Constituta erit.

21. CORRUPTOS] Male habitos, macie perditos.

23. ARANEA] Telas intelligit. Nempe *araneus, a, um* adjectivum est. Hinc *araneum* neutraliter & absolute, opus aranearum, subaudito *textum* vel *rete*. Sic Petronius dixit, *araneis oleo madentibus*, i. e. telis aranearum.

24. QUANTI] Quanta vestra negligentia est! minimo labore sustulissetis has aranearum sordes.

DUM SCRUTATUR] Camerarius fab. 223. *Inter hanc curam & attentionem apparent cornua cervi, & ipse latens intra stramenta a gaudente patrefamilias cæditur.*

26. FAMILIA] Servis rusticis.

EPILOGUS.

ÆSOPI ingenio ſtatuam poſuere Attici,
Servumque collocarunt æterna in baſi,
Patere honoris ſcirent ut cuncti viam,
Nec generi tribui, ſed virtuti, gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne ſolus eſſet, ſtudui, quod ſuperfuit.
Neque hæc invidia, verum eſt æmulatio.
Quod ſi labori faverit Latium meo,
Plures habebit quos opponat Græciæ.

Si

AD EPILOGUM.

1. INGENIO] Præfat. lib. 3.
Æternam famam condere ingenio ſuo.
POSUERE] Erexere. Eleganter de ſtatuis.
ATTICI] Athenienſes. Attica eſt regio Achajæ, in qua Athenæ.

2. SERVUMQUE] Licet foret ſervus: nempe quia his conceſſus iſte honor non fuit.
ÆTERNA] Reſpectu voluntatis & propoſiti Athenienſium. Erant enim baſes illæ ex ſaxo, forma quadrata, vel rotunda. *Æterna* ergo eſt, ægre deſtruenda aut ſolvenda, & ſic quam diutiſſime duratura. Statius de baſi ſtatuæ Coloſſeæ Domitiani l. 1. Silv. verſ. 58.

Teneat quamvis æterna crepido,
Quæ ſuperingeſti portaret culmina montis.

5. QUONIAM] Ordo eſt: Studui ne alter eſſet ſolus (fabulator) quoniam occupârat (id eſt, anteverterat me) ne forem primus: quod (unum mihi) ſuperfuit, id eſt, relictum erat, vel proximum erat. Hæc enim eſt ſententia: Quia Attici facto ſuo docuerunt, cunctis cujuſcunque ſortis aditum patere ad honorem, ego quoque conſequi eum ſtudui exemplo Æſopi. Suſpicatur Nobiliſſ. Heinſius Phædrum hic loqui de Cn. ſive C. Meliſſo, Poëta vetere. De quo vide quænam congeſſerit in notis ad Epiſt. Pont. Ovidii lib. 4. Ep. 16. verſ. 30. Vide & eundem ejuſdem operis Tomo 2. p. 465.

7. ÆMULATIO] Hæc vox proprie de diſcipulis dicitur, qui præceptorem imitantur. Ita quidem hic ſumitur. Cæterum hæc vox duplicem habet ſignificationem, alteram ad laudem, alteram ad culpam. Cicero de ea lib. IV. Tuſc. c. VIII. *Dupliciter illa quidem dicitur, ut & in laude, & in vitio nomen hoc ſit: nam & imitatio virtutis, æmulatio dicitur: & eſt æmulatio ægritudo, ſi eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipſe careat.* Æmulatio itaque degenerans nil niſi invidia eſt.

8. LATIUM] Latini. Meton. Subjecti. *Latium* porro regio Italiæ notiſſima inter Hetruriam & Campaniam, a latendo dicta, quod ibi Saturnus latitârit.

9. PLURES] Qui ſimilia facient, incitati exemplo meo.
OPPONAT] Tanquam tales, qui, quod ibi Græce alii, ipſi Latine compoſuerint, æquali ingenio præſtantiaque.

Si Livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.
Si noſtrum ſtudium ad aures pervenit tuas:
Et arte fictas animus ſentit fabulas,
Omnem querelam ſubmovet felicitas.
Sin autem & illis doctus occurrit labor,
Siniſtra quos in lucem natura extulit,
Nec quicquam poſſunt niſi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat ſui.

EXPLICIT LIB. II.

10. CURAM] Hoc opus, quod cum cura ſtudioque elaboravi.

11. ERIPIET] Mihi ſcilicet, quippe qui me iſta ſic ſcripſiſſe ſcio, ut promeritus ſim laudem.

12. PERVENIT] Cicero *accidere ad aures dicere amat.*

13. SENTIT] Si experiris, ſcriptas eſſe has fabulas non inepte, ſed arte ſingulari.

14. SUBMOVET] Tam felix ſum, ut nihil habeam quod querar.

FELICITAS] Qua talem inveni lectorem, qui & intelligit artem, & ex ea capit delectationem.

15. OCCURRIT] Ad aures, ad manus eorum pervenit, qui maligni ſunt.

16. SINISTRA] Infauſta, adverſa, inimica, velut in pœnas & ſupplicia aliorum.

EXTULIT] Protulit, edidit.

17. NEC QUICQUAM] Deëſt *qui*; nam diverſus caſus præceſſit.

18. FATALE] Malum, quod auctorem habet fatum, non culpam noſtram.

EXITIUM] Calumniam, injuriam.

DURATO] Obfirmato a me atque obdurato adverſus talia.

19. CRIMINIS] Quippe quæ ſic afflixerit innocentem. Ita ſæpe veteres. Vide Barthium ad Statium T. 2. p. 68. Gevartium ad Statii Silv. l. 1. c. 31.



PHÆ-


PHAEDRUS ADEUTYCHUM
LIB. III.
ANUS AD AMPHORAM
FAB. I.
PANTHERA ET PASTORES
FAB. II.
ÆSOPUS ET RUSTICUS
FAB. III.
LANIUS ET SIMIUS
FAB. IV.
ÆSOPUS ET PETULANS
FAB. V.
J. Vrouen del. et fecit

PHÆDRI FABULARUM LIBER TERTIUS.

PROLOGUS AD EUTYCHUM.



PHAEDRI libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, à negotiis,
Ut liber animus sentiat vim carminis.
Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horæ pereat officii mei. 5
Non ergo causſa est manibus id tangi tuis,
Quod

AD PHÆDRI FABUL. LIB. III.

PROLOG.

1. PHÆDRI] Meos. Sic loquuntur inprimis poëtæ. Pyrrhus apud Virgil. 2. Æn. expresso suo ipsius nomine ad Priamum regem:

Illi mea tristia facta
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

9. Æn. Mater Euryali,

Nec te, sub tanta pericula missum,
Adfari extremum miseræ data copia matri.

i. e. mihi.

Apud Terentium Hec. 5. 4. 37. Parmeno etiam de se,

An
Temere quidquam Parmenonem prætereat, quod facto usu' sit?

Apud eundem Phorm. 5. 8. 38. Phormio:

Sic dabo: age nunc, Phormionem qui volet, lacessito.

2. NEGOTIIS] Curis publici officii: unde etiam *negotiosa vita*, quæ opponitur privatæ & otiosæ, & contemplationi literisque deditæ.

3. LIBER] Idem est, quod *vacans a negotiis*.

4. INGENIUM] Scripta tua. Metonymia.

5. MOMENTUM] Minimum temporis, horæve punctum, quæ hora, vel quod tempus officio est destinatum. Itaque *officium* de munere publico accipitur, quod sustinebat Eutychus, forsan in aula principali, audiens sollicitantium preces & ad principem deferens.

6. NON ERGO] Respondet poëta objectioni, quam ipse finxit.

Quod occupatis auribus non convenit.

Fortaſſe dices: Aliquæ venient feriæ,
Quæ me ſoluto pectore ad ſtudium vocent.
Legeſne, quæſo, potius viles nenias,
Impendas curam quam rei domeſticæ,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Ut adſuetam fortius præſtes vicem?
Mutandum tibi propoſitum eſt & vitæ genus,
Intrare ſi Muſarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa eſt jugo,

In

7. QUOD OCCUPATIS] Quod minime decet aures impeditas, & negotiis diſtractas.

8. FORTASSE] Nova prolepſis.

FERIÆ] Dies, quibus nihil agere erat licitum.

9. SOLUTO] Libero a curis. *Libero animo*, ut paulo ante.

10. LEGESNE] Reſponſio per interrogationem. q. d. Quidvis potius facturus es, quam lecturus fabulas meas.

NENIAS] Ineptias, fabulas inutiles. *Nenia*, carmen, quo mulcentur aures puerorum.

11. IMPENDAS] Des operam rei familiari.

12. REDDAS] Velut ex debito mutui officii. Nam *reddere* eſt tributum ſibi ſuiſque negotiis ab aliis, iiſdem retribuere, ac pariter vacare aliis.

UXORI VACES] Fabuleris cum uxore, feria & jocos miſceas, agas, quæ quoquo modo ei eſſe poſſunt grata & jucunda: quod nempe non potes diebus aliis, occupatus negotiis. Thomas Morus, æternum Angliæ decus, ad hanc rem convenienter in Præfat. Utopiæ ad Petrum Ægidium: *Dum foris totum ferme diem aliis impartior, reliquum meis, relinquo mihi, hoc eſt, literis, nihil. Nempe reverſo domum, cum uxore fabulandum eſt, garriendum cum liberis, colloquendum cum miniſtris. Quæ ego omnia inter negotia numero, quando fieri neceſſe eſt, (neceſſe eſt autem, niſi velis eſſe domi tuæ peregrinus) & danda omnino opera eſt, ut quos vitæ tuæ comites, aut natura providit, aut fecit caſus, aut ipſe delegiſti, his ut te quam jucundiſſimum compares.* & quæ ibi ſequuntur.

13. OTIUM] Cures corpus, & reficias honeſta remiſſione.

14. ADSUETAM] Quadriſyllabum eſt, exigente ſic verſu, ut ſupra.

PRÆSTES VICEM] *Vicem* pro munere. *Præſtare* eſt peragere. Sic Cicero, *munus ſuum præſtare.*

15. PROPOSITUM] Ratio, inſtitutum. Ita hæc vox uſurpatur auctoribus. Juſtinus l. VI. c. 8. de Epaminonda, *Neque ab hoc vitæ propoſito mortis ratio diſſenſit.* Seneca Epiſt. 68. *Aliud propoſito tuo nomen impone.* Ubi *propoſitum* vocat inſtitutum Lucilii in ſeceſſu vivendi.

17. PIERIO] Pierius mons Theſſaliæ, in Macedoniæ confinio, Muſis ſacer, quæ ex eo Pierides dictæ ſunt.

18. To-

In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Jovi
Fœcunda novies Artium peperit chorum,
Quamvis in ipſa pene ſim natus ſchola, 20
Curamque habendi penitus corde eraſerim,
Et laude multa vitam in hanc incubuerim,

Faſti-

18. TONANTI] Epitheton eſt Jovis, qui & abſolute *Tonans* dicitur. Ovid. Epiſtola Deïaniræ,

Velit hoc Germana Tonantis;

i. e. Juno.

MNEMOSYNE] Nympha Pieria, quæ habuit ex Jove novem Muſas. Vox Græca eſt μνημοσύνη, quæ memoriam ſignificat. Poëtæ hanc Muſarum matrem finxere, quia omnium ſcientiarum theſaurus beneficio memoriæ acquiritur & conſervatur. Habet vero nomen novem literas pro numero filiarum.

19. FOECUNDA NOVIES] Quæ novem fœtus edidit uno partu.

ARTIUM] Muſarum, quæ artes invenerunt.

CHORUM] Chorus proprie eſt coævorum cantus & ſaltatio in tragœdiis aut comœdiis. Accipitur vero improprie pro quovis perſonarum numero, & hic pro novem Muſis, quæ dicuntur artes inveniſſe. Prima vocabatur Clio, hiſtoriæ parens; Secunda Melpomene, Tragœdiæ: Tertia Thalia, Comœdiæ: Quarta Euterpe, fiſtularum. Quinta Terpſichore, Cytharæ: Sexta Erato, Lyræ: Septima Calliope, verſuum heroicorum: Octava Urania, Aſtrologiæ: Nona Polyhymnia, Eloquentiæ. Quæ omnes hoc Auſonii carmine comprehendi ſolent:

CLIO geſta canens, tranſactis tempora reddit.
MELPOMENE tragico proclamat mœſta boatu.
Comica laſcivo gaudet ſermone THALIA.
Dulciloquis calamos EUTERPE flatibus urget.
TERPSICHORE affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens ERATO ſaltat pede, carmine, vultu.
Carmina CALLIOPE libris Heroica mandat.
URANIE cœli motus ſcrutatur & aſtra.
Signat cuncta manu, loquitur POLYHYMNIA geſtu.

20. QUAMVIS] Ita eſt hujus verſus lectio conſtituenda, & ſic metrum conſervandum: quod vidit primus Nobiliſſimus Heinſius. Omnes editiones præferunt,

Quamvis in ipſa natus ſim pene ſchola.

Ad quæ tacent interpretes, ſecuri ſcilicet poſitionis qualiſcunque, qua ultima in *pene*, quæ brevis eſt, producatur. Cujuſmodi exempla, fateor, & alibi in his libellis occurrunt. Sed conſulant aures ſuas, qui Muſas nacti ſunt faventes.

NATUS] De Epaminonda ſic dixit Juſtinus *fuiſſe hominem inter literas natum.*

21. HABENDI] Suppl. rem, pecunias. *Amor habendi* apud Ovidium, pro avaritia.

Tempore crevit amor, qui nunc eſt ſummus habendi.

Et Horat. 1. Ep. 7.

Amore ſeneſcit habendi.

22. LAUDE MULTA] Hoc dicit poëta: Quamvis ego in hoc ſtudiorum genere multam laudem ſim aſſecutus, ægre tamen, & non niſi quodam cum faſtidio, recipior in Muſarum cœtum. *Laus multa* hic autem eſt, non quidem magna, ſed multa, ſive multorum hominum: quod modeſtius eſt, quam ſi dixiſſet, magna laude. Multam enim laudem a multis mereri facilius eſt, quam a magnis magnam. Sic Horat. de Arte Poëtica:

Succeſſit vetus his Comœdia non ſine multa Laude.

Paſſim autem Phædrus ſibi laudem tribuit. Sic Epilogo libri præcedentis:

Si livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.

Et in fine hujus præfationis:

Quoniam mihi ſolennis debetur gloria.

Iterum in præfatione libri 5.

Mihi parta laus eſt.

VITAM] Sc. Scholaſticam. Conſtituimus

hanc

Faſtidioſe tamen in cœtum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigilia,
Docto labori dulce præponens lucrum?
Sed jam, quodcunque fuerit (ut dixit Sinon,
Ad regem quum Dardaniæ perductus foret)
Librum exarabo tertium Æſopi ſtilo,
Honori & meritis dedicans illum tuis:
Quem ſi leges, lætabor; ſin autem minus,
Habebunt certe quo ſe oblectent poſteri.
Nunc Fabularum cur ſit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia
Quia quæ volebat non audebat dicere,

Affectus

hanc lectionem ex præſcripto Praſchii, pro *in hanc vitam* reponentis *vitam in hanc*. Quo fit ut opus non ſit tam variis argumentis ſollicitare τὸ *incubuerim*. Optime enim ſic verſus ſtat.

23. FASTIDIOSE] Ægre, difficulter, & quaſi cum faſtidio & dedignatione ejus, qui tantopere ambit.

IN COETUM] Muſarum. Senſus eſt: Etiamſi omnia poſthabeam literis ac doctrinæ, ut opes & gloriam, tamen ad eam veram ſolidamque non niſi difficulter ac ſero pervenio.

24. QUID CREDIS ILLI] Quomodo putas illum poſſe evadere doctum, qui opibus coacervandis ſtudet?

25. OMNI VIGILIA] Omni cura & ſollicitudine.

26. DULCE] Jucundum, propter varias utilitates ex pecunia.

27. UT DIXIT] Sinonis oratio apud Virg. 2 Æneid. ſic incipit:

Cuncta equidem tibi Rex, fuerit quodcunque, fatebor.

Cæterum hic Sinon fuit filius Siſyphi, nepoſque Autolyci, Græcus verſipellis & veterator, qui obſeſſa Troja a Trojanis ſe capiendum obtulit, & ad Priamum Regem deductus, ipſi perſuaſit abiiſſe Græcos, atque equum illum ingentem in urbem ducendum.

28. REGEM] Priamum Regem Trojanorum, qui vocati ſunt Dardanii a Dardano filio Jovis & Electræ, qui Regnum Trojanum condidit, unde & ipſa regio Dardania dicta eſt. Poſtea urbs provinciæ caput dicta fuit Troja, & populus Trojani, a Troë atavo Priami.

29. EXARABO] *Exarabo ſtilo.* Hæ voces ſunt conjungendæ. *Exarare ſtilo* eſt ſcribere.

30. HONORI ET MERITIS] Ex veteri formula, quæ in Inſcriptionibus frequens.

33. FABULARUM] Cur fabulæ ſint inventæ. Sic *piſcium genus* apud Horat. l. 1. Od. 2. pro piſcibus.

Piſcium & ſumma genus hæſit ulmo.

34. SERVITUS] Æſopus ſervus. Servivit enim is Xantho Philoſopho.

OBNOXIA] Arbitrio ac poteſtati alienæ ſubjecta.

36. AF-

Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit jocis.
Æſopi illius ſemita feci viam,
Et cogitavi plura quam reliquerat,
In calamitatem deligens quædam meam.
Quod ſi accuſator alius Sejano foret,
Si teſtis alius, judex alius denique,
Dignum faterer eſſe me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suſpicione ſi quis errabit ſua,
Et rapiet ad ſe quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conſcientiam.

Huic

36. AFFECTUS] Non intelligit perturbationes, ſed res, quæ accidebant ipſi, quæ eum afficiebant. Hoc vult, omnes caſus, qui venerant, omnem injuriam, qua afficiebatur, ultum eſſe fabula.

37. ELUSIT] Evitavit. Sic lib. 1. fab. 12. JOCIS] Fabulis. Prol. l. 2. *narrantis jocus.*

38. SEMITA] *Semitam & viam* conjunxit & Cicero Accuſ. 2. in Verr. c. 23. *Attendite. Jam intelligetis hanc pecuniam, qua via modo viſa eſt exire ab iſto, eadem ſemita revertiſſe. Semita* autem eſt quid minus tritum quam via. Primus Æſopus materiam fabularum reperit, quam ego polivi verſibus. Sic effeci ut illius ſemita, quam primus triverat, evaderet via. Semita enim fit via, cum a plurimis frequentatur, & ſic vulgatur magis.

39. COGITAVI] Excogitavi. Sic C. Nepos vita Datamis 6. *Quod ad ſuam perniciem fuerat cogitatum*, id eſt, excogitatum.

40. IN CALAMITATEM] In quibus fabulis alluſi paucis ad fortunam meam adverſam, quam paſſus ſum ſub Sejano.

41. ALIUS SEJANO] Præpoſitio omiſſa, pro *a Sejano*, hoc eſt, quam Sejanus. Vid. de hac conſtructione Gerard. Jo. Voſſium de Conſtruct. c. 14. Sejanus pro arbitrio cuncta geſſit ſub Tiberio, ſuamque latiſſime exercuit poteſtatem. In ejus odium incidit Phædrus, qui ab eo variis criminibus accuſatus vix evaſit incolumis; cum ille eſſet & accuſator & judex. Genus loquendi a Græcis ſumtum.

42. JUDEX] Vox *Judicis* vim Sejani innuit.

44. NEC HIS] Nec hæc ſolatia mihi conquirerem.

45. SUSPICIONE] Si quis ſuſpicabitur ſe his tangi. Cic. pro Lege Manilia c. 13. *Veſtra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoſcere videamini, qui hæc fecerint. Ego autem neminem nomino. quare iraſci mihi nemo poterit, niſi qui ante de ſe voluerit confiteri.*

46. ET RAPIET AD SE] Dicet ſe tactum & exagitatum hac illave fabula.

QUOD ERIT COMMUNE] Quod dicitur omnibus, quod tangit omnes.

47. NUDABIT] Nudabit ille conſcientiam quidem, nihilominus tamen ego velim me excuſatum ei, quia non propterea ſcripſi, ut ſic hic & ille ſe nudaret. Cæterum *nudare* eſt hic, omnibus conſpiciendam præbere.

Huic excuſatum me velim nihilominus.
Neque enim notare ſingulos mens eſt mihi,
Verum ipſam vitam & mores hominum oſtendere.
Rem me profeſſum dicet fors aliquis gravem:
Si Phryx Æſopus potuit, Anacharſis Scytha,
Æternam famam condere ingenio ſuo:
Ego literatæ qui ſum propior Græciæ,
Cur ſomno inerti deſeram patriæ decus?
Threiſſa quum gens numeret auctores ſuos,
Linoque Apollo ſit parens, Muſa Orpheo,
Qui ſaxa cantu movit & domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci mora.

Ergo

49. NOTARE] Hujus vel illius vitam reprehendere.

50. OSTENDERE] Quales nempe ſunt in vita communi.

51. FORS] Forſan, forſitan, adverbialiter.

52. PHRYX] In Phrygia natus, quæ eſt regio Aſiæ minoris.

ANACHARSIS] Pro & *Anacharſis*. ſic fab. 9. l. 1.

Oppreſſum ab Aquila, fletus edentem graves; pro & *fletus edentem*. Anacharſis fuit Philoſophus Scythicus multa ſapientia & doctrina præditus, qui ſumma uſus eſt libertate in carpendis hominum moribus, multaque præclare dicta poſteritati reliquit.

53. CONDERE] Extruere, parare famam.

54. LITERATÆ] Merito: vel ob ſolas Athenas, omnium artium inventrices, quas & doctas vocavit Propertius,

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas.

55. SOMNO] Ignavia, pigritia.

DESERAM] Omittam ornare ac promovere, cum poſſim.

56. THREISSA] Thracia. Indicat vero Phædrus ſe gente Thracem eſſe, ideoque Græciæ, eruditionis parenti, propiorem quam erat vel Æſopus Phryx, vel Anacharſis Scytha.

NUMERET] Multos habeat auctores.

57. LINOQUE] Linus filius Apollinis & Terpſichoræ, aut, ut alii volunt, Mercurii & Uraniæ. Fuit Muſicus & poëta Thebanus.

ORPHEO] Is fuit genere Thrax, filius Apollinis & Calliopes, quem a Mercurio, aut a patre Apolline ferunt accepiſſe lyram, qua tantum valuit, ut cantu ſilvas & ſaxa moverit, reduxeritque uxorem ſuam Euridicen ab inferis. Fuit occiſus a Menadibus juxta Hebrum fluvium.

58. QUI SAXA] Horatius in de Arte Poëtica de eo & Amphione:

Silveſtres homines ſacer, interpreſque deorum,
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidoſque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

59. HEBRIQUE] Hebrus fluvius Thraciæ ex Hæmo monte oriens, & in Ægeum mare exiens.

TENUIT] Moratus eſt dulcedine carminis.

60. GEMAS]

Ergo hinc abeſto, Livor, ne fruſtra gemas:
Quoniam mihi ſolemnis debetur gloria.
Induxi te ad legendum: ſincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

60. GEMAS] Ob felicitatem alienam. Proprie de livore.

61. SOLEMNIS] Solita. Reſpicit exempla Lini & Orphei, qui tametſi Thraces fuerint, tamen tantam obtinuerunt gloriam.

62. INDUXI] Hic ſenſus eſt: Scio, me his compuliſſe te ut legas. Pro hac mea opera, ſi ex ea jucundum aliquid tibi accidet, hoc unum peto ut reddas judicium.

63. NOTO] Quem conſtat in te eſſe ſitum.

JUDICIUM] Judices candide & ſincere de his libellis.

FAB. I.

ANUS AD AMPHORAM.

ANUS jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna fæce, e teſta nobili
Odorem quæ jucundum late ſpargeret.
Hunc poſtquam totis avida traxit naribus:
O ſuavis anima, quale in te dicam bonum
Ante-

AD FAB. I.

1. ANUS] Proverbium vetus eſt, *Anus ad armillum redit*, id eſt, ad vas vinarium. Conſtructio talis eſt: Anus vidit amphoram epotam (id eſt, exhauſtam) jacere, adhuc Falerna fæce, quæ late ſpargeret jucundum odorem e teſta nobili.

AMPHORAM] Vinarium vas octo & quadraginta ſextarios continens. In his vaſis vinum Falernum ſervabatur.

2. FALERNA FÆCE] Falerni vini fæce. Falernus mons & ager erat Campaniæ: ager frumenti, mons vini generoſiſſimi ferax. Horat. 2 Sat. 2.

Surrentina vafer, qui miſcet fæce Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo.

Apud Prudentium 1 hymn. 126. eſt *Muſtum Falernum.*

NOBILI] Quia inſcriptum habebat titulum tam celebrati vini. Solebant enim inſcribere iſtis amphoris nomen vini, ubi & quando eſſet natum, in quibus condebatur. Nobilis quoque dici poteſt ob materiam, e qua erat conflata.

4. TRAXIT] Quantum poterat attraxit. Videtur hoc verbum aviditatem aliquam ſignificare, etiamſi non addidiſſet poëta τὸ *avida*. Horat. Epod. XIV.

Pocula Lethæos ut ſi ducentia ſomnos,
Arente fauce traxerim.

5. ANIMA] Alloquitur amphoram, eamque anus vinolenta rerum omnium cariſſimam ducens, & delicium ſuum faciens, blande ſuavem animam appellat; ſcilicet ut Cicero cariſſimis ſuis ſcribens, *vos animæ meæ*, inquit. Sic devota vino vetula amphoram veluti corculum amplexa, o ſuave olens animula, inquit! quales delicias, quale in te bonum antehac fuiſſe dicam, in qua tales ſunt reliquiæ, & fæces ipſæ divinum quendam odorem ſpirant!

Antehac fuiſſe, tales cum ſint reliquiæ?
¶ Hoc quo pertineat, dicet qui me noverit.

Vid. elegantem locum de muliere vini avida apud Plaut. Curcul. Act. 1. ſc. 2.

6. TALES] Ex proverbio, quo boni vini etiam fæces bonæ eſſe perhibentur.

7. HOC QUO PERTINEAT] Senectutem ſuam conſolatur Phædrus. Vult ex hoc ultimæ ſenectutis, quæ eſt quaſi fæx vitæ, opuſculo fabularum poſſe colligi, qualis fuerit integra adhuc ætate. Meminit & alibi ſenectutis ſuæ, ut infra lib. 4. fab. 25. & lib. 5. fab. 10.

FAB. II.

PANTHERA ET PASTORES.

SOLET à deſpectis par referri gratia.
¶ Panthera imprudens olim in foveam decidit;
Videre agreſtes: alii fuſtes congerunt,
Alii onerant ſaxis; quidam contra miſeriti,
Perituræ quippe, quamvis nemo læderet,
Miſere panem, ut ſuſtineret ſpiritum.
Nox inſecuta eſt, abeunt ſecuri domum,
Quaſi inventuri mortuam poſtridie.
At illa vires ut refecit languidas,
Veloci ſaltu fovea ſeſe liberat,

Et

AD FAB. II.

1. DESPECTIS] Qui deſpecti erant.

2. IMPRUDENS] Improvida, non providens.

IN FOVEAM] *In foſſam eſt delapſa*, Camerar. quem vide Fab 226.

3. CONGERUNT] In eam, verberantes.

4. ALII] In dimetiendo hoc verſu *Ali* eſt pro *alii*; ut ſæpe *ingeni* pro *ingenii*, aliaque ejuſmodi. Nulla enim alia ratione conſtabit.

ONERANT] Petunt, mulcant lapidibus. Sic eſt *onerare injuriis* apud Ter. Andr.

6. MISERE] Objecere illi panem.

SUSTINERET] Servaret vitam. Nam *ſuſtinere* eſt tenere, ne ſc. diſcedat.

9. REFECIT] Pane ſc. & quiete. Sic *reficere jumenta* dixit Nepos Eumene cap. 9.

10. FOVEA] A fovea. Ellipſis. In foveis feræ capiebantur. ſup. l. 1. fab. 17.

SESE LIBERAT] Seſe liberat, id eſt, exſilit.

11. CON-

Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpoſitis, provolat,
Pecus trucidat, ipſos paſtores necat,
Et cuncta vaſtans, ſævit irato impetu.
Tum ſibi timentes, qui feræ pepercerant,
Damnum haud recuſant, tantum pro vita rogant.
At illa, Memini qui me ſaxo petierint,
Qui panem dederint; vos timere abſiſtite,
Illis revertor hoſtis, qui me læſerant.

11. CONCITO] Feſtino, celeri.

12. PROVOLAT] Cubili ſc. Vox communis hominibus, feris & avibus.

16. HAUD RECUSANT] *Haud recuſare* non eſt velle, ſed æquo animo ſubire, majoris boni gratia. C. Nepos Epam. c. 8. *Neque recuſavit, quo minus legis pœnam ſubiret.* Ergo hi calamitatem in pecore amittendo non deprecantur, ſed ſuæ tamen vitæ ut parcat rogant. Vid. hic Græv. ad Lactant. de Mortibus Perſecutorum p. 133.

17. MEMINI] Subintellige *illorum.*

18. ABSISTITE] Deſiſtite. Sic optimi auctores. Virg. 8 Æn. verſ. 403.

Abſiſte precando
Viribus indubitare tuis:

Idem lib. 6. *Abſiſte moveri.* Columell. 12, 19. *Nec abſiſtat id facere.*

19. REVERTOR HOSTIS] Revertor ad eos hoſtiliter perſequendos, qui in me congeſſere fuſtes & lapides.

FAB. III.

ÆSOPUS ET RUSTICUS.

USU peritus hariolo velocior
Vulgo eſſe fertur, cauſa ſed non dicitur:
Noteſcet quæ nunc primum fabella mea.

¶ Ha-

AD FAB. III.

1. USU] Homo multæ experientiæ, ingenioſior & velocior ingenio eſt quam vates.

VELOCIOR] Ad conjectandum ſc. *Velox* de ingenii acumine dicitur, & plane idem eſt, quod Belg. *gaeu*, quod aliquando celeritatem notat, plerumque vero de callidis & acuti ingenii hominibus intelligitur. Contrarium *veloci* eſt *tardus*, quod ſtupidum denotat. Ter. Heautont. 4. 4. *hui quam tardus es!*

2. CAUSA] Non, quare ſit velocior, id enim in ſequentibus non agitur, ſed unde natum ſit hoc vulgi dictum.

3. NOTESCET] Nota fiet, cum fuerit hactenus occulta.

¶ Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite. monſtro exterritus
Ad conſulendos currit mœrens hariolos.
Hic pertinere ad domini reſpondet caput,
Et avertendum victima periculum.
Ille autem affirmat conjugem eſſe adulteram,
Et inſitivos ſignificari liberos:
Sed expiari poſſe majori hoſtia.
Quid multa? variis diſſident ſententiis,
Hominiſque curam cura majore aggravant.
Æſopus ibi ſtans, naris emunctæ ſenex,
Natura numquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis oſtentum, Ruſtice,
Uxores,

6. HARIOLOS] Harioli futurorum conjectores dicebantur: quaſi *farioli* a *fari*, vel *fando*, ut *hœdus*, *fœdus*. Sed vide Etymologicon magni Voſſii.

7. HIC] Sc. hariolus.

CAPUT] Vitam, ſalutem. Vid. lib. 1. fab. 14.

Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſit pedes.

8. VICTIMA] Intelligitur taurus. Hoc enim proprie victima veteribus. Mox:

Expiari poſſe majori hoſtia.

Solebant enim monſtra & prodigia hoſtiis procurari, idque ex conſilio & præſcripto augurum & aruſpicum, Quindecimque virorum, qui libros Sibyllinos ſuper hac re adibant & inſpiciebant: ut ſc. averruncaretur malum, quod illa minabantur. Neque tantum in portentis ac prodigiis, ſed etiam in ſomniis paulo triſtioribus procurandis expiandiſque mire ſuperſtitioſi erant.

10. INSITIVOS] Alienæ familiæ per dolum inſitos, id eſt, nothos. Metaph.

11. EXPIARI] Victima piaculari averti ac declinari.

13. CURA MAJORE] Propter diſſenſum & incertitudinem interpretationis, ac propterea remedii quoque.

AGGRAVANT] Ex incerto ac ſollicito dimittunt multo incertiorem ac ſollicitiorem. Simile eſt illud Terentii, Phorm. 2. 3.

Feciſtis probe,
Incertior ſum multo quam dudum.

14. NARIS EMUNCTÆ] Horatianum eſt de iis, qui rem poſſunt ſubodorari, hoc eſt, occultam indagare, atque intelligere.

SENEX] Honoris cauſa dictum. Sic *Lucilius ſenex* apud Horatium.

15. NATURA] Subaudi *rerum*, id eſt, Natura omnium rerum numquam Æſopum latuit.

VERBA] Quem natura non potuit externa ſpecie decipere. Vult, intime ſciviſſe rationem rerum naturalium.

16. PROCURARE] Solennis vox augurum eſt, ſignificatque avertere, & a cervicibus noſtris depellere. Vid. Hieron. Magii Miſcellan. l. 1. c. 20. & Probus ad Virg. 1 Georgic. p. 134.

17. UXO-

Uxores, inquit, da tuis paſtoribus.

17. UXORES] Abuſive, pro contubernalibus, conjunctis, concubinis. Sic enim proprie dicebantur, quæ conjunctæ erant ſervis.

PASTORIBUS] Famulis tuis, qui pecus tuum curant.

FAB. IV.

SIMII CAPUT.

PENDERE ad Lanium quidam vidit Simium
Inter reliquas merces atque opſonia.
Quæſivit quidnam ſaperet; tum Lanius jocans:
Quale, inquit, caput eſt, talis præſtatur ſapor.
¶ Ridicule magis hoc dictum quam vere æſtimo,
Quando & formoſos ſæpe inveni peſſimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

FAB.

AD FAB. IV.

1. PENDERE] Proprie de rebus venalibus.

AD LANIUM] Apud Lanium. Plaut. *ad forum*, pro apud forum: *ad exercitum*, pro apud exercitum.

2. RELIQUAS] Si verſus ratio habeatur, quatuor ſyllabarum erit hæc vox. Sed Heinſius bono ſenſu, & meliore verſu ſcribit *relictas*. Aliquæ ſcilicet merces jam erant venditæ: remanſerat cum aliis ſimius.

5. RIDICULE] In gratiam Æſopi hoc dicitur.

ÆSTIMO] Exiſtimo, puto.

7. OPTIMOS] Exemplo eſt ipſe Æſopus, quem corpore deformem fuiſſe accepimus.



FAB. V.

ÆSOPUS ET PETULANS.

SUCCESSUS ad perniciem multos devocat.
¶ Æsopo quidam petulans lapidem impegerat;
Tanto, inquit, melior: assem deinde illi dedit.
Sic prosecutus: Plus non habeo mehercule,
Sed unde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce dives & potens: huic similiter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Persuasus ille, fecit quod monitus fuit:
Sed spes fefellit impudentem audaciam,
Comprehensus namque pœnas persolvit cruce.

FAB.

AD FAB. V.

1. DEVOCAT] Pellicit ac trahit sensim, quoniam a bonis est descensus veluti ad mala.

2. PETULANS] Usurpatur de eo, qui gaudet lædere alios; idque sine causa.

TANTO MELIOR] Laudandi atque approbandi apud veteres formula; contra autem, *Tanto nequior.*

ASSEM] Intellige nummum æneum.

4. SIC PROSECUTUS] Sic pergens loqui.

6. POTENS] Qui potest melius quam ego dare.

9. IMPUDENTEM AUDACIAM] Terent. Heautontim. 2. 3.

O hominis impudentem audaciam!

10. CRUCE] Crux supplicii genus, quod in usu fuit ad tempora Constantini Imperatoris.



AD













J. B. Bunner del. et f.
1701

FAB. VI.

MUSCA ET MULA.

MUSCA in temone ſedit, & Mulam increpans,
Quam tarda es, inquit: non vis citius progredi?
Vide, ne dolone collum compungam tibi.
Reſpondit illa: Verbis non moveor tuis,
Sed iſtum timeo, ſella qui prima ſedens,
Jugum flagello temperat lento meum,
Et lora frenis continet ſpumantibus.
Quapropter aufer frivolam inſolentiam:
Namque ubi ſtrigandum eſt, & ubi currendum, ſcio.

¶ Hac

AD FAB. VI.

1. MUSCA IN TEMONE SEDIT] Faernus in Fabula de Muſca & Quadrigis p. 89.

Muſca advolans temoni earum inſederat.

MULAM] Mularum uſus quondam fuit in vehiculis celeberrimus.

2. NON VIS] Notum ſchema interrogando jubere. Ter. Eun. 5. 1.

Non tu iſtuc dictura aperte es quicquid eſt? Ita hic, *Non vis citius progredi?* Quod Belgice ſic fere ſolet efferri, *Zult gy voortgaan of niet?*

3. DOLONE] Per faſtum de aculeo ſuo ſic loquitur. Nam *dolon* proprie gladius, aut cuſpis ferrea in baculo recondita. Et ſolet muſca ſuum aculeum ſic abdere. Virg. Æn. l. 7. verſ. 664.

Pila manu, ſævoſque gerunt in bella dolones.

Ubi vide interpretes.

5. QUI PRIMA] Aurigam intelligit. *Prima ſella* eſt ſcamnum equis proximum, in quo proprie ſedes aurigarum.

6. TEMPERAT] Regit, moderatur, ne tardius aut celerius incedam, quam oportet.

LENTO] Facto quippe ex loris. Sic *verbera lenta* apud Virg. *Lentum* eſt flexibile. Hinc apud eundem Maronem eſt & *lenta ſalix*, *lentum vimen*, & *lentum flagellum*, quod hic habemus.

7. SPUMANTIBUS] Ita tenet ut ſpument. Vult reddere rationem, quare non poſſit celerius incedere. Non tantum, ait, tenet, ſed tenet tam valide, meque cohibet, ut & frena ſpument, hoc eſt, ſpuma ex labore oppleantur.

8. AUFER] Omitte inſolentiam.

FRIVOLAM] Vanam, cui nullæ ſubſunt vires.

9. STRIGANDUM] Quando oporteat morari. *Strigare* enim eſt interquieſcere, dicitur-que proprie de equis aut mulis in ſtrigam collocatis. Sic uſus auctor parodiæ in Ventidium

¶ Hac derideri fabula merito poteſt,
Qui ſine virtute vanas exercet minas.

Baſſum mulionem, quæ extat in Catalectis Virgilianis :

Et inde tot per orbitoſa millia
Jugum tuliſſe, læva ſive dextera
Strigare mula, ſive utrumque cœperat.

VIRTUTE] Viribus, fortitudine. Synecdoche.

FAB. VII.

CANIS ET LUPUS.

QUAM dulcis ſit libertas, breviter proloquar.
¶ Cani perpaſto, macie confectus Lupus,
Forte occurrit: ſalutantes dein invicem
Ut reſtiterunt, Unde ſic, quæſo, nites,
Aut quo cibo feciſti tantum corporis?
Ego, qui ſum longe fortior, pereo fame.
Canis ſimpliciter: Eadem eſt conditio tibi,
Præſtare domino ſi par officium potes.
Quod? inquit ille: Cuſtos ut ſis liminis,
A fu-

AD FABULAM VII.

1. QUAM DULCIS] Camerarius Fab. 220.

BREVITER PROLOQUAR] Paucis oſtendam.

2. PERPASTO] Valde pingui.

MACIE CONFECTUS] Cujus vires macie plane diminutæ erant.

4. UT RESTITERUNT] Sic ſup. l. 1. f. 12.

Ad fontem cervus cum bibiſſet reſtitit.

UNDE SIC] Verba Lupi ad Canem.

NITES] Eos proprie' ſignificat, quorum pellis ex ſagina diſtenta ſplendet. Locus hic eleganter formatus ex illo paraſiti Gnathonis apud Ter. Eun. 2. 2.

Qui color, nitor, veſtitus, quæ habitudo eſt corporis?

Hinc *equi nitidi* apud Virg. i. e. pinguedine diſtenti. Nepos Eumene 5. *Jumenta nitida* dixit, id eſt, bene habita. Sic *juvenca nitens* apud Ovid. Metam. l. 1.

5. FECISTI TANTUM CORPORIS] Obeſum te reddidiſti. Contrarium eſt, *corpus amittere*, id eſt, macrum fieri.

7. SIMPLICITER] Aperte, abſque diſſimulatione.

EADEM EST CONDITIO] Tibi erit fortuna ſimilis.

10. ET

A furibus tuearis & noctu domum.
Ego vero ſum paratus: nunc patior nives,
Imbreſque, in ſilvis aſperam vitam trahens:
Quanto eſt facilius mihi ſub tecto vivere,
Et otioſum largo ſatiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aſpicit
Lupus a catena collum detritum Canis.
Unde hoc, amice? nihil eſt. Dic, quæſo, tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam, & vigilem, nox quum venerit:
Crepuſculo ſolutus, qua viſum eſt, vagor.
Adfertur ultro panis; de menſa ſua

Dat

10. ET NOCTU] Ordo verborum paulo hic turbatior eſt. Sic autem ſe habet: *Ut ſis cuſtos liminis & tuearis domum noctu a furibus.*

11. EGO VERO] Particula elegantiſſima, quæ hic promtitudinem indicat. Verba ipſa lupi ſunt ad canem reſponſoria.

PATIOR] Expoſitus ſum & nudus ad omnes cœli injurias, & duram admodum vitam ago. Florus poëta,

Scythicas pati pruinas.

Et Cicero II Catil. c. X. *Pruinas ac nives perferre.* Sic & Claudian.

Frigora ſæva pati, gravibus non cedere nimbis.

12. VITAM TRAHENS] Virgiliana phraſis ex Æneid. 2.

Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam.

Æneid. 3.

Quum vitam in ſilvis inter deſerta ferarum
Luſtra domoſque traho.

15. VENI ERGO] Verba canis ad lupum.

16. DETRITUM] Proprie de cane. Seneca Hippol. verſ. 33.

Et pugnaces tendant Creſſæ
Fortia trito vincula collo.

17. NIHIL EST] Canis loquitur. Formula eſt illorum, qui præcidunt ſermonem de re ſibi parum grata. Imitatur Terentium And. 2. 6.

SIMO. *Quidnam eſt?* DA. *Puerile eſt.* SI. *Quid eſt?* DA. *Nihil.* SI. *Quin dic, quid eſt?*

Et Phormione 5. 8.

PH. *Abi: tange: ſi non totus friget, me eneca.* CHR. *Nihil eſt.*

DIC QUÆSO] Lupus loquitur, cui mox reſpondet Canis: *Quia videor acer* &c.

18. ACER] Lib. 2. f. 3. eſt *canis vehemens.* Sed quid *acer* & *vehemens* differant, docet Vavaſſor in libello de vi & uſu quorundam verborum; ubi *acer* idem dicit eſſe quod *aſperior*, *intractatus*, *ferocior*, *inquietus.* Vid. Cicer. pro Roſc. Amerin. c. 20.

20. CREPUSCULO] Crepuſculum eſt lux dubia, quæ fit ante ſolis ortum & occaſum.

QUA VISUM EST] Errant Grammatici, qui hanc voculam *qua* inter adverbia numerant. Semper ſubſtantivum ſubauditur. Sic *hac*, *illac*, *iſtac*, ſubaudi via.

21. ULTRO] Me non rogante.

Dat ossa dominus, frusta jactat familia,
Et, quod fastidit quisque, pulmentarium:
Sic sine labore venter impletur meus.
Age, si quo abire est animus, est licentia?
Non plane est, inquit. Fruere, quæ laudas, Canis.
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

22. FRUSTA] Edulii cujuscunque.
JACTAT] Jacit, objicit. *Mittit* est f. 2.
23. QUOD FASTIDIT QUISQUE] Hinc lib. IV. fab. XVII. Canum querelæ ad Jovem orantium

Ut sese eripiat hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum qui panem darent.

PULMENTARIUM] Quicquid ad panem datur. Proprie tamen dicitur puls vel cibus in modum pultis factus.
25. EST LICENTIA?] Licitumne tibi est? Verba sunt Lupi ad Canem, quibus Canis respondet mox: *Non plane est.*
26. FRUERE, QUÆ LAUDAS, CANIS] Fruere iis, quæ laudas. Sunt autem hæc Lupi verba. Est vox remittendi alteri, quod ipsi non desideramus, quasi dicat, Habe tua bona sine rivali. Sic fere Cæsar Augustus Pollioni apud Senecam de ira lib. 3. cap. 23. *Fruere, inquit, mi Pollio, fruere.*
17. UT NON SIM] Hac lege & conditione ut non sim liber mihi.

FAB. VIII.

FRATER ET SOROR.

PRAECEPTO monitus, sæpe te considera.
¶ Habebat quidam filiam turpissimam,
Itidemque insigni & pulcra facie filium.
Hi speculum in cathedra matris ut positum fuit,
Pueriliter ludentes, forte inspexerant.

Hic

AD FAB. VIII.

1. PRÆCEPTO] Ubi bona præcepta accepisti, ubi monitus es.
TE CONSIDERA] Descende in te, examina te.
2. TURPISSIMAM] Turpitudo, ut & honestas, proprie quidem de animo hominis; sæpe tamen etiam de corporis forma dicitur, ex qua interdum cognoscitur animus, quamvis admodum fallaci indicio. Sic infra lib. 4. fab. 4. *turpissimam* vocat, quam mox *deformem.*
3. PULCRA FACIE] Honesta: nam opponitur *turpissimæ.* Ter. Eun. 3. 2. 21.

Ita me Dii ament, honestus est.

4. CATHEDRA] Sellam gestatoriam intelligit, qua vehebantur mulieres in publico. Vid. Pignor. de serv. p 434.

7. Su-

Hic ſe formoſum jactat, illa iraſcitur,
Nec gloriantis ſuſtinet fratris jocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem cucurrit, læſura invicem,
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus quod rem fœminarum tetigerit.
Amplexus utrumque ille, & carpens oſcula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Quotidie, inquit, ſpeculo vos uti volo,
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis:
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

FAB.

7. SUSTINET] Suſtinere vel ferre poteſt.

8. ACCIPIENS] Siniſtre omnia interpretans ad ſui contemtum. Ter. Adelph. 4. 3. 15.

Ad contumeliam omnia accipiunt magis.

QUID ENIM?] Poteſt ita ſuppleri: *Quid enim potius acciperet in contumeliam?*

10 CRIMINATUR] Odioſa criminatione defert fratrem ſuum.

11. VIR NATUS] Cum vir ſit natus, cum virilis ſit ſexus.

REM FOEMINARUM] Supellectilem muliebrem: id, quod ad fœminas pertinet.

12. CARPENS OSCULA] Ovid. Ep. 2. Heroid.

Non ſuper incubui, non oſcula frigida carpſi.

13. DULCEMQUE] Sic infra l. 3. fab. 15. *dulcem benevolentiam.* Dicitur hic teſpectu liberorum, qui dulces paſſim vocantur. Lucret. l. 3.

Nec dulces occurrent oſcula nati.

Virg. 4 Æneid.

Nec dulces natos, Veneris nec præmia nôris.

Horat. Epod. 2.

Domum atque dulces liberos.

PARTIENS] Tribuens cuique partem amoris ſui.

15. TU] Tu fili.

16. TU] Tu filia hoc agas, ut ne appareat ea turpitudo faciei præ morum pulcritudine. Vide huic loco convenientia apud Piccart. Dec. 9. c. 5. Menag. ad Laertium edition. Wetſtenianæ pag. 88. 89.



FAB. IX.

SOCRATES AD AMICOS.

VULGARE amici nomen, ſed rara eſt fides.
¶ Quum parvas ædes ſibi fundaſſet Socrates,
(Cujus non fugio mortem, ſi famam adſequar,
Et cedo invidiæ, dum modo abſolvar cinis.)
E populo ſic neſcio quis, ut fieri ſolet:
Quæſo tam anguſtam talis vir ponis domum?
Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

FAB.

AD FAB. IX.

1. VULGARE] Vulgaris res eſt habere amicum, ſed rariſſima invenire fidelem.

2. QUUM] Hæc hiſtoria eſt, non fabula; ut & ſequens narratio.

SIBI] Suos & privatos in uſus.

SOCRATES] Philoſophus Athenienſis, magni nominis.

3. NON FUGIO] Non recuſo ſubire mortem Socratis, qui hauſta cicuta periit.

4. ET CEDO INVIDIÆ] Facile patior me circumveniri, & vel damnari atque occidi ab invidis, ut ille, dum modo poſt mortem judicer innocens fuiſſe. *Invidia* hic eſt pro invidis, ut Epil. l. 2. *Livor*, pro lividis,

Si Livor obtrectare curam voluerit.

CINIS] Poſtquam cinis factus fuero: poſt mortem meam. Alludit ad morem antiquum, quo cadavera rogo injecta in cineres redigebantur. Ovid. 2 Amor.

Jamque cinis vivis fratribus Hector erat.

Vid. Kirchmann. de Funerib. l. 1. c. 1.

5. E POPULO SIC NESCIO QUIS] Formula loquentium de ignotis. Cic. de Amicitia, *Qualem fuiſſe Athenis Timonem neſcio quem accepimus.* Ovidius dixit, 1 Triſt.

Si quis ut in populo.

Virg. Eclog. 3.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

UT FIERI SOLET] Inter ædificandum. Nam de ſtructura nova quilibet vult ferre cenſuram. Belgicum proverbium eſt, *Die aan den weg timmert, heeft veel berecht.*

6. TAM ANGUSTAM] Tam parvam, tam exiguam.

TALIS] In laudem Socratis dicitur, q. d. *Vir tantæ virtutis & famæ.* Ter. Eun. 1. 2. 80.

Et iſtam nunc times
Quæ abducta eſt, ne illum talem præripiat tibi.

C. Nepos Alcibiade 6. *Itaque & Siciliæ amiſſum & Lacedæmoniorum victorias culpæ ſuæ tribuebant, quod talem virum e civitate expuliſſent.* Cic. Epiſt. Fam. l. 16. 21. ad Tironem, *Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas.* Sulla apud Salluſtium in Bello Jug. ad Bochum Regem: *Rex Bocche, magna lætitia nobis eſt, cum te talem virum dii monuere, uti aliquando pacem, quam bellum, malles.*

7. INQUIT] Reſpondet nempe Socrates.

VERIS] Recte Plutarchus in Apopht. dixit, nullas divitias fidelibus amicis æquiparari poſſe.

FAB. X.

POETA DE CREDERE ET NON CREDERE.

PERICULOSUM eſt credere, & non credere.
Utriuſque exemplum breviter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia novercæ creditum eſt;
Caſſandræ quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda eſt veritas multum prius,
Quam

AD FAB. X.

3. HIPPOLYTUS] Theſei & Hippolytæ Amazonis filius, qui cum conſtanti animo ſperneret mulierum congreſſum, a Phædra noverca, abſente patre, amatus eſt. Sed repulſam ſæpius paſſa impudica mulier inſimulavit ſtupri Hippolytum apud Theſeum. Ille credulus, filio, qui jam domum impudicam fugerat, mortem imprecatur. Quod votum ratum fecit Neptunus, emiſſo tauro marino, qui equos Hippolyti conſternavit, unde per vepres & ſaxa diſtractus periit. Quod ubi reſcivit male ſibi conſcia mulier, ſcelus ſuum confeſſa apud maritum, gladio ſe confodit.

QUIA NOVERCÆ] Occurrit hic bis vocula *quia*, e naturâ ſuâ correpta. Quod me monet eorum, quæ notata ſunt ad fab. 5. l. 1.

Ego primam tollo, nominor quia leo.

Certe omnibus locis excuſſis, in quibus occurrit, invenio nuſquam impegiſſe præterea Phædrum. Tu ipſe vide, Lector, & commemoratis jam l. 1. verſibus adde ſequentes. Lib. 1. fab. VIII.

Impune abire deinde quia jam non poteſt.

Lib. 1. fab. 27.

Invenit: & violarat quia manes deos.

Ibid. fab. 28.

Vindicta docili quia patet ſolertiæ.

Lib. 3. Prol.

Quia quæ volebat non audebat dicere.

Lib. 3. f. 7.

Quia videor acer, alligant me interdiu.

Ibid. f. 11.

Integritatis teſtes quia deſunt mihi.

Ibid. f. 16.

Dormire quia me non ſinunt cantus tui.

Lib. 4. f. 6.

Falſoque dictum; longe quia vetuſtior.

Ibid. f. 11.

Quia dives arca veram laudem intercipit.

Et paulo poſt.

Odi, inquit, illum, quia malis amicus eſt.

Ibid. fab. 16.

Totam quia vitam miſcet dolor & gaudium.

Ibid. f. 21.

Quia plures onere degravati perierunt.

Lib 5. f. 3.

Quia non fuiſſe mentem lædendi ſcio.

Ibid. f. 5.

Sed in priore quia nil compererant, latens.

Tamen produxit etiam Auſonius in Profeſſ. Burdig. Carm. VIII.

Sed quia noſtro docuere in ævo.

Verum hoc exemplum addendum eſt pluribus aliis, in quibus ſibi nimium indulſit Auſonius; quod ſciunt eruditi. Non dubitabat itaque Nobiliſſ. Broukhuſius, a me rogatus ſententiam, quin iſtud *nominor quia Leo* eſſet corruptum, ut Phædro plane indignum; adeoque cenſebat, omnino reponendam fuiſſe Gudii lectionem.

4. CASSANDRÆ] Priami Regis Trojanorum filiæ, quæ ſæpius exitium Trojæ prædixerat: ſed a Trojanis fides ei non fuit habita, diis ita volentibus.

ILIUM] Troja. Cujus ruinæ deſcriptio eſt apud Virgilium 2 Æneid.

5. MULTUM] Veritas multum ante eſt exploranda.

6. SEN-

Quam ſtulta prave judicet ſententia.
Sed fabuloſa ne hæc vetuſtate elevem,
Narrabo tibi, memoria quod factum eſt mea.
¶ Maritus quidam quum diligeret conjugem,
Togamque puram jam pararet filio,
Seductus in ſecretum à liberto ſuo,
Sperante heredem ſuffici ſe proximum.
Qui dum de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitiis caſtæ mulieris,
Adjecit id, quod ſentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incenſus ille falſo uxoris crimine,
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Subſedit: deinde noctu ſubito januam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens;

In

6. SENTENTIA] Animus, judicium, id eſt, quam homines ſtolide ſententiam ferant.

7. ELEVEM] Hoc loco eſt, *minuam*. Senſus eſt: Ne id, quod proxime dixi de exploranda veritate, elevem allatis exemplis, quæ propter vetuſtatem ſuam poſſent videri fabuloſa, propterea id narrabo, quod eſt factum mea memoria, id eſt, meo tempore.

10. TOGAMQUE PURAM] Qua utebantur viri, primumque induebantur poſt expletos adoleſcentiæ annos. Erat autem dicta *pura*, quia nullam prætextam habebat purpuram, ut toga puerorum.

11. SEDUCTUS] Seorſum ductus in locum ſolitarium. Intellige *eſt*.

12. SUFFICI] Suffectum iri vel ſufficiendum eſſe.

PROXIMUM] A filio videlicet. Alias dicitur ſecundus, id eſt, ſubſtitutus.

14. MULIERIS] Uxoris, conjugis hujus mariti. Penultima merito corripitur in hac voce, ut ſemper. De quo conſule Voſſ. de Art. Gramm. l. 2. c. 37. Quod non attendit iſte Martialis, ut vocant, Britannicus Epigr. l. 4. 118.

Amiſit coſtam, cauſa mulieris, Adamus.

Sed nec attendit alia: quod non vident amore cœci, qui eum aſſidua manu verſant.

16. DOLITURUM] Dolorem allaturum marito conjugem ſuam diligenti.

20. SUBSEDIT] Subſtitit, commoratus eſt.

JANUAM] Per januam in ædes.

23. ÆTA-

In quo dormire mater natum jusserat,
Ætatem adultam servans diligentius.
Dum quærunt lumen, dum concurrant familia,
Iræ furentis impetum non sustinens,
Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.
Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit,
Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna adlata, simul adspexit filium,
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quæ nil somno senserat;
Repræsentavit in se pœnam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.
Accusatores postularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad centumviros.
Maligna insontem deprimit suspicio,
Quod

23. ÆTATEM] Filium adultum. Metonymia.

SERVANS] Observans, custodiens.

24. FAMILIA] Multitudo servorum.

25. NON SUSTINENS] Non ferens. Sic *sustinere jocos* l. 2. fab. 8.

26. TENTAT] Explorat manu.

27. TONSUM] Nempe, sicut viri consueverant.

TRANSIGIT] Trajicit, transverberat pectus adolescentis.

28. RESPICIENS] Attendens, curans, omnia iræ suæ posthabens.

29. SIMUL] Simulac, simulut, simulatque. Hæc omnia enim in usu sunt.

30. SANCTAMQUE] Innocentem. *Castam* dixit ante.

31. PRIMO] Recens cœpto, qui arctissimus esse solet.

32. REPRÆSENTAVIT] Statim pœnam de se ipse sumsit.

33. FERRO] Gladio. Meton. materiæ.

CREDULITAS] Quia liberto temere crediderat.

34. POSTULARUNT] Accusarunt eam.

35. CENTUMVIROS] Centumviri judices erant apud Romanos, apud quos agebantur & disceptabantur causæ graviores, quæ & centumvirales inde appellatæ. Erant hi centum & quinque viri, ex trigintaquinque tribubus selecti, ex singulis tres: sed ob numeri rotunditatem appellantur Centumviri.

36. SUSPICIO] Mavult Gudius *Suspectio*, quod & probavit Salmasius, præcipue metri causa. Sed antepenultimam etiam in *Suspicio* produci, jam olim docuit Vossius, quem vide Art. Gr. l. 4. cap. 32.

Quod bona poſſideat. Stant patroni fortiter
Cauſam tuentes innocentis fœminæ.
A Divo Auguſto tunc petiere judices,
Ut adjuvaret jurisjurandi fidem,
Quod ipſos error implicuiſſet criminis.
Qui poſtquam tenebras diſpulit calumniæ,
Certumque fontem veritatis repperit,
Luat, inquit, pœnas cauſa libertus mali:
Namque orbam nato ſimul & privatam viro,
Miſerandam potius, quam damnandam exiſtimo.
Quod ſi damnanda perſcrutatus crimina
Paterfamilias eſſet, ſi mendacium
Subtiliter limaſſet, a radicibus
Non evertiſſet ſcelere funeſto domum.

¶ Nil

37. QUOD BONA POSSIDEAT] Ob id quod. Sic ferme ſenſus eſt, ſuſpicatos pleroſque, commiſiſſe id facinus, ut poſt obitum mariti & filii ſola poſſideret bona & hæreditatem, idque ex eo, quia tenebat illa bona.

STANT] Fortiter tuentur mulieris cauſam.

39. DIVO] Auguſto Cæſare, qui vivus nomen Divi conſecutus eſt. Vid. pluribus locis Ovidium.

AUGUSTO] Ita dicti ſunt omnes Imperatores Romani, non ab *augendo*, ut volunt quidam, ac ſi eſſent, ut Belgicus jam Imperatorum titulus eſt, *Vermeerderaars des Ryx*, ſed ab *augur*. Ut enim a *robur* eſt *robuſtus*, ita ab *augur*, *auguſtus*. Quod ſignificat *ſanctum*, Belg. *geheiligt*, *gewyd*; velut *templum auguſtum*, & *loca auguſta*, i. e. ſacroſancta. Ovid. 1 Triſt.

Ignoſcant auguſta mihi loca, dique locorum.

40. JURISJURANDI FIDEM] *Fidem* eſt pro iis, qui eam dederant jurejurando, id eſt, judicibus. Quibus in cauſa obſcura ſolenne fuit juramentum, *Sibi non liquere*. Quo liberabantur, judicio ad Imperatorem devoluto. Ita ſenſus erit: Petierunt ut juvaret ſe, atque a pronunciatione ſententiæ liberaret, quia feciſſent fidem jurejurando, ſe litis hujus deciſionem non invenire.

41. ERROR] Ambiguitas, incertitudo, obſcuritas.

IMPLICUISSET] Incertos & dubios feciſſet.

42. QUI POSTQUAM] Poſtquam detexerat quæ cauſa ipſos compulerat ad tantis calumniæ erroribus fidem habendam.

44. LUAT POENAS] Vide notas l. 1. fab. 13.

49. LIMASSET] Examinaſſet, diligentius perſpexiſſet. *Limare* eſt pro *elimare*.

A RADICIBUS] Conjungendum cum *evertiſſet*, ut ſit, radicitus, funditus. Nepos dixit Hannibale c. 7. *a fundamentis diſſicere domum.*

51. NIL

¶ Nil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim,
Quandoquidem & illi peccant, quos minime putes:
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
¶ Hoc admonere ſimplices etiam poteſt,
Opinione alterius ne quid ponderent:
Ambitio namque diſſidens mortalium,
Aut gratiæ ſubſcribit, aut odio ſuo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
¶ Hæc executus ſum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quoſdam offendimus.

51. NIL SPERNAT AURIS] Vid. Interpretes C. Nepotis ad XIV, 9, 2. Cic. 1 ad Att. 19. & Piccart. Decad. 5. cap. 5.

52. QUOS MINIME PUTES] Quos ſanctos & innocentes habemus.

56. OPINIONE] Ne res vel negotia æſtiment ex opinione vel dictis aliorum.

57. DISSIDENS] Contraria, adverſa ſemper aliis.

58. SUBSCRIBIT] Dicuntur ſubſcribere, qui ſequuntur alios, eorumque ſententiam acceſſione ſua firmant.

59. ERIT ILLE] Eſſe debet, ſit.

PER TE] Tuo ſtudio proprio, non ex relatione aliorum exploraveris.

60. EXECUTUS] Expoſui, narravi, dixi prolixius & verboſius.

QUONIAM] Quoniam multis diſplicuit nos tam breves eſſe in enarrandis fabellis.

FAB. XI.

EUNUCHUS AD IMPROBUM.

EUNUCHUS litigabat cum quodam improbo,
Qui ſuper obſcœna dicta, & petulans jurgium,
Damnum inſectatus eſt amiſſi corporis.

En

AD FAB. XI.

2. SUPER] *Super* hic valet *præter*.

DICTA] Jocos, facetias.

PETULANS] Alterius exagitandi cauſa inſtitutum.

3. INSECTATUS] Per cavillationem traduxit, ei objecit.

CORPORIS] Virilitatis. Totum pro parte.

En, ait, hoc unum eſt, cur laborem validius,
Integritatis teſtes quia deſunt mihi.
Sed quid fortunæ ſtulte delictum arguis?
Id demum eſt homini turpe, quod meruit pati.

4. LABOREM] Ut hanc, ſi qua eſt, ignominiam virtute tegam atque ſuperem.

7. TURPE] Flagitioſum. Ovid.
Quæ venit ex merito pœna, dolenda venit.

FAB. XII.

PULLUS AD MARGARITAM.

IN ſterquilinio pullus gallinaceus
Dum quærit eſcam, margaritam repperit.
Jaces indigno, quanta res, inquit, loco!
O ſi quis pretii cupidus vidiſſet tui!
Olim rediſſes ad ſplendorem maximum.
Ego quî te inveni, potior cui multo eſt cibus?
Nec tibi prodeſſe, nec mihi quicquam potes.

¶ Hoc

AD FAB. XII.

3. JACES] Neglecta & contemta. Venuſte hoc expreſſit, & longe quidem venuſtius, quam ſi in tertia perſona dixiſſet: *Jacet indigno quanta res loco!* Eodem modo ſe res habet hujus lib. Fab. 9. verſ. 6.

Quæſo tam angustam talis vir ponis domum?

Et hinc puto lib. 1. fab. 7. legendum fuiſſe:

O quanta ſpecies, inquit, cerebrum non habes!

q. d. *Tu non habes cerebrum, cum tanta ſis ſpecies?* quod vulpis ibi loquentis admirationem auget. Hanc lectionem parabam dicto loco in textum recipere. Sed cohibebant me Æſopi verba, Ὦ τῆς κεφαλῆς, ἣν ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει. Quæ Phædrus videtur expreſſiſſe. Imitatus quoque eſt And. Alciatus Emb. 48.

Hoc quale caput eſt! ſed cerebrum non habet.

Schefferus alioqui tentabat,

O quanta ſpecies, & cerebrum non habes!

Et Broukhuſius meus jam olim,

O quanta ſpecies, inquit! Cerebrum non habes.

QUANTA RES] Quanti pretii & dignationis.

5. REDISSES] Facta eſſes ſplendida, ut olim, quæ nunc fimo conſpurcata jaces tanto tempore.

6. EGO QUI TE INVENI] Oratio eſt cum admiratione interrogantis, Qui ego te inveni? Qui factum eſt, ut ego te invenerim? Nam *qui* eſt quomodo, ut l. 1. fab. 1.

Quî poſſum, quæſo, facere quod quereris, lupe?

q. d. Fruſtra te inveni: nam nec ego tibi poſſum, nec tu mihi potes prodeſſe. Tollius ad Auſonium legit:

Ego quod te inveni, potior cui multo eſt cibus,
Nec tibi prodeſſe, nec mihi quicquam poteſt.

Quod non improbandum.

8. Hoc













D. Vianen del. et fecit 1701.

¶ Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

8. HOC ILLIS NARRO] Hoc illis ſcribo. *Hoc illis dictum eſt*, ut ſupra.

QUI ME NON INTELLIGUNT] Qui neſciunt quid lateat ſub fabulis meis : quoniam ſunt inſtar galli hujus, cui nihil profuit reperta margarita.

FAB. XIII.

APES ET FUCI VESPA JUDICE.

APES in alta quercu fecerant favos:
Hos fuci inertes eſſe dicebant ſuos.
Lis ad forum deducta eſt, Veſpâ judice:
Quæ genus utrumque noſſet cum pulcerrime,
Legem duabus hanc propoſuit partibus:
Non inconveniens corpus, & par eſt color,
In dubium plane res ut merito venerit:
Sed ne religio peccet imprudens mea,
Alveos

AD FAB. XIII.

1. FAVOS] Apum domos, ſeu cellulas.

2. INERTES] Proprie, *artis ejus imperiti*. Hoc vult, non potuiſſe ipſos facere ſibi, propterea mendacio quærere voluiſſe alienos. *Fucos* vocat *ignavos* Virg. l. 4. Georg. verſ. 168. ubi de apibus:

Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.

Heſiodus in Theog. de Apibus & Fucis,

Αἱ μέν τε πρῶτον ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα
Ημάτιαι σπεύδουσι τιθεῖσί τε κηρία λευκὰ,
Οἱ δ' ἔντοσθε μελίσσης ἐπηρεφέας κατὰ σίμβλας,
Ἀλλότριον κάματον σφετέρην ἐς γαστέρ' ἀμῶνται.

Ariſtoteles docet: *Veſci tum eos, tum eorum pullos melle, quod Apes fecerint.* Cæterum inimicitiæ Apum cum *Fucis* apud omnes celebrantur. Ariſtoteles c. 40. de apibus, *Fucos interimunt, quando non ſatis loci operibus eſt.* In eodem, *Deprehenſi a bonis apibus occiduntur.* Plin. c. 11. *Tardantes* (fucos) *ſine clementia puniunt.* Idem c. 17. *Certum eſt ab apibus fucos interfici.* Varro, *Inſectantes a ſe ejiciunt fucos.* Vid. porro Ælian. l. 1. c. 10.

3. AD FORUM] Ad judicium, ad judicem.

4. PULCERRIME] Optime. Phædrus extremo hoc opere:

Hoc cur, Philete, ſcripſerim pulcre vides.

Et l. 4. fab. 20.

Quid judicare cogitet livor, modo
Licet diſſimulet, pulcre tamen intelligo.

Ibid. f. 25.

Dum ſanitas conſtabit, pulcre meminero.

5. LEGEM] Conditionem, uti mox appellat.

PARTIBUS] Ita proprie, qui litigant inter ſe, vocantur.

6. NON INCONVENIENS] Non male convenit, ſi externam ſpeciem ſpectes.

7. PLANE] Omnino: Vult, omnino ac plane fuiſſe cauſam juſtæ dubitationis, propter illam ſimilitudinem.

3. RELIGIO] Judicibus religio tribuitur, propter jusjurandum, quo tenebantur. Vid. Fabul. 10.

PECCET] In judicando errorem committat.

IMPRUDENS] Per imprudentiam: ſi minus omnia providero.

Alveos accipite & ceris opus infundite,
Ut ex ſapore mellis & forma favi,
De quis nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recuſant, Apibus conditio placet.
Tunc illa talem ſuſtulit ſententiam:
Apertum eſt quis non poſſit, aut quis fecerit.
Quapropter Apibus fructum reſtituo ſuum.
¶ Hanc præteriiſſem fabulam ſilentio,
Si pactam Fuci non recuſaſſent fidem.

9. ALVEOS] Domicilia apum.

OPUS] Per *opus* mel intelligit, & per *ceras* mellis receptacula.

11. AUCTOR] Ita debet ſcribi hoc vocabulum, non *autor*, vel *author*, ut plerique faciunt. Diciturque *auctor* proprie is, qui primus aliquid invenit, inſtituit, & fecit; qui conditor & quaſi parens eſt alicujus rei, a verbo *augeo*, quod & ipſum creare & efficere notat; quo ſenſu uſus eſt Lucretius & alii. Vid. Vorſt. de Latin. merito ſuſp. c. 25.

13. TUNC ILLA] Sc. Veſpa. Sic fere l. 1. f. 10.

Uterque cauſam cum peroraſſent ſuam,
Dixiſſe fertur Simius ſententiam.

14. APERTUM EST] Jam patet, conſtat.

15. APIBUS] Tanquam veris auctoribus.

17. FUCI] Vani homines, qui verſus meos ſibi vindicarunt. Vid. Freinshemium ad hanc fabulam de verſibus Virgilii, quos fucus aliquis ſibi arrogaverat.

FAB. XIV.

ÆSOPUS LUDENS.

PUERORUM in turba quidam ludentem Atticus Æſopum nucibus quum vidiſſet, reſtitit, Et quaſi delirum riſit. Quod ſenſit ſimul Deriſor

AD FAB. XIV.

1. QUIDAM] Sic loquebantur de ignotis. C. Nepos Pauſania, *Interim Argilius quidam* &c.

ATTICUS] Unus ex Athenienſibus.

2. RESTITIT] Subſtitit. Sic ſup. l. 1. f. 12.

3. SIMUL] Simulac: ut infra l. 3. f. 16. l. 4. 8. & 14. lib. 5. 5. & 7. exemplo Ciceronis, Horatii, aliorumque optimi ævi Scriptorum.

4. DE-

Derisor potius quam deridendus senex,
Arcum retensum posuit in media via:
Heus, inquit, sapiens, expedi quid fecerim.
Concurrit populus; ille se torquet diu,
Nec quæstionis positæ causam intelligit.
Novissime succumbit. Tum victor sophus:
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris;
At si laxaris, quum voles, erit utilis.
¶ Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

FAB.

4. DERISOR] Qui ridere stultitiam hominum soleret. Sic sup. l. 3. fab. 3.

Naris emunctæ senex,
Natura numquam verba cui potuit dare.

5. RETENSUM] Brevitatis Phædri hoc est indicium. Pro eo enim dicere debuerat, arcum tendit retenditque.

6. SAPIENS] Philosophe, per ironiam.

EXPEDI] Expone, quid innuam hoc facto.

8. POSITÆ] Ab Æsopo propositæ.

9. NOVISSIME] Ultimo, tandem.

SUCCUMBIT] Superatur, velut in certamine, dum causam dicere non potest. Belg. *Hy geeft het op.*

VICTOR] Æsopus, qui victor dicitur, quia quod ipse posuerat, alter interpretari non poterat.

SOPHUS] Vox Græca, Latinitate donata, significat *sapiens.*

10. CITO RUMPES] Ovid. Heroid. 4. 91.

Arcus & arma tuæ tibi sunt imitanda Dianæ.
Si numquam cesses tendere, mollis erit.

11. ERIT UTILIS] Eo uti poteris.

13. MELIOR] Promtior, aptior, utilior ad aliquid meditandum. Videtur hanc fabulam scripsisse Phædrus in defensionem Divi Augusti, patroni sui, contra quosdam austeros censores. Refert enim Suet. in ejus vita, cap. 13. *Animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis aut ocellatis nucibusque ludebat cum pueris.* Seneca de Tranq. Anim. c. XVI. *Nec in eadem intentione æqualiter retinenda mens est, sed ad Jocos revocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubescebat: & Cato vino laxabat animum, curis publicis fatigatum: & Scipio triumphale illud & militare corpus movit ad numeros* &c.



AD

FAB. XV.

CANIS AD AGNUM.

INTER Capellas Agno balanti Canis,
Stulte, inquit, erras, non eſt hic mater tua.
Oveſque ſegregatas oſtendit procul.
Non illam quæro, quæ, quum libitum eſt, concipit,
Dein portat onus ignotum certis menſibus,
Noviſſime prolapſam effundit ſarcinam:
Verum illam, quæ me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne deſit mihi.
Tamen illa eſt potior quæ te peperit. Non ita eſt.
Unde illa ſcivit niger an albus naſcerer?
Age porro ſciſſet: quum crearer maſculus,
Bene-

AD FAB. XV.

1. BALANTI] Matris deſiderio.

2 STULTE] Objurgantis eſt.

HIC] Hoc loco, inter capras puta.

3. SEGREGATAS] Ab grege capellarum ſejunctas, ſeparatas.

4. NON ILLAM QUÆRO] Verba agni ſunt ad canem.

5. PORTAT ONUS] Sic ſupra in ſimili negotio habuimus *onus deponere* l. 1. f. 18.

IGNOTUM] Reconditum, nec viſum.

6. PROLAPSAM] *Cadere* & *labi* verba ſunt de partione uſurpata.

EFFUNDIT] Juvenalis Sat. 2.

Patruo ſimiles effunderet offas.

SARCINAM] Vid. quæ notavimus l. 1. ad f. 18.

7. ADMOTO UBERE] Præbito, porrecto ubere. Florus, *uber admovit infantibus.* Et Virgilius,

Hyrcanæque admôrunt ubera tigres.

8. FRAUDATQUE] Subducit eis aliquid, privat eos lacte.

NATOS] Pullos. Sic l. 1. f. 28. & alibi.

9. TAMEN] Incipit nunc canis rurſum loqui.

POTIOR] Juris reſpectu. Vult enim, plus deberi iis, a quibus naſcimur, quam a quibus alimur.

NON ITA EST] Verba agni refutantis ſententiam Canis.

10. NIGER AN ALBUS] Catullus:

Nec ſcire utrum ſis, albus an ater homo:

ex proverbio, *albus an ater ſis neſcio.*

11. SCISSET] Sciviſſet. Eſt Syncope. *Sciſſet* eſt conceſſivum. Demus, faciamus ſciviſſe. Etiamſi ſciviſſet, quid ex eo ad me commodi?

MASCULUS] Maſculos parare in cibum, fœminas autem ad augendam prolem vivas ſervare

Beneficium magnum ſane natali dedit,
Ut expectarem lanium in horas ſingulas.
Cujus poteſtas nulla in gignendo fuit,
Cur hac ſit potior, quæ jacentis miſerita eſt,
Dulcemque ſponte præſtat benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non neceſſitas.
¶ His demonſtrare voluit auctor verſibus
Obſiſtere homines legibus, meritis capi.

FAB.

vare ſolebant, ſicut hodieque receptum eſt. Adde quod homines, qui deliciis ſtudent, in eligendis maſculis etiam cujuſcunque generis animalibus, palato ſuo conſulunt, nihil ſibi rei eſſe cupientes cum ſexu ſequiore.

12. BENEFICIUM] Ironia. Nam quod mas genitus eſſet agnus, inde illi periculum a lanio.

13. LANIUM] Mortem a lanio ſingulis momentis mihi inferendam.

14. CUJUS POTESTAS] Ordo eſt: Cur ea, poteſtas cujus fuit nulla in gignendo, ſit potior hac, quæ eſt miſerita jacentis? Adhuc ſunt agni verba. Poteſtas nulla in gignendo ejus eſſe dicitur hoc loco, quæ in gignendo poteſtatem nullam ſibi habet relictam, ſed cogitur ſimpliciter facere, quod id negotium requirit. Quæ non poteſt non gignere, quando ſemel partum concepit.

15. JACENTIS] Agni a matre deſerti. Quaſi diceret, Mater mea dedit mihi vitam, ſed ut eriperet iterum per crudeliſſimam ſuam negligentiam, dum jacentem me ne reſpicit quidem.

16. DULCEMQUE] Nimirum a mamma lac ſugendum præbuit.

17. FACIT PARENTES] Illi vere dici poſſunt patres, qui non neceſſitate quadam naturæ procreant liberos, ſed qui procreatis vitam ſuſtinent alimentis, & conſiliis juvant.

NECESSITAS] Ordo naturæ. Statius II Silv. 1.

Natos genuiſſe neceſſe eſt,
At legiſſe juvat.

Ad quæ vid. Barthius. Porro hic commentarii loco eſſe poteſt Buchneri Orat. 10. T. 2. p. 268.

19. OBSISTERE] Repugnare, adverſari. *Leges* juſſa ſunt & imperia qualiacunque, quæ quid exigunt a nobis fieri, vel non fieri; ut, ſanguine junctos parentes & liberos amare ſe mutuo, non odio perſequi debere.

MERITIS] Bene meritis, id eſt, beneficiis. Sic l. 1. fab. 8.

CAPI] Trahi in obſequium & amorem.



FAB. XVI.

CICADA ET NOCTUA.

HUMANITATI qui ſe non accommodat,
Plerumque pœnas oppetit ſuperbiæ.
¶ Cicada acerbum noctuæ convicium
Faciebat, ſolitæ victum in tenebris quærere,
Cavoque ramo capere ſomnum interdiu.
Rogata eſt, ut taceret: multo validius
Clamare cœpit. Rurſus admota prece,
Accenſa magis eſt. Noctua ut vidit ſibi
Nullum eſſe auxilium, & verba contemni ſua,
Hac eſt adgreſſa garrulam fallacia:
Dormire quia me non ſinunt cantus tui,
Sonare cithara quos putes Apollinis,
Potare

AD FABULAM XVI.

1. HUMANITATI] Qui non facit quod omnes humanos & comes decet.

ACCOMMODAT] *Accommodare ſe humanitati* dictum, ut apud Ciceronem, *accommodare orationem auribus multitudinis*, pro ex voluntate humanitatis vitam moreſque ſuos regere. *Humanitas* eſt ea amabilitas, qua ſtudemus ad ſocietatem mutuam ſervandam alter alteri placere.

2. OPPETIT] Subit. quomodo oppetere mortem dicimus.

3. ACERBUM] Cohæret cum *noctuæ*: id eſt, quod acerbum fuit noctuæ. *Acerbum*, eſt moleſtum, ingratum, amarum. Sic Cic. dixit Lælio c. 16. *Acerbius in aliquem invehi, inſectarique vehementius.*

CONVICIUM FACIEBAT] Inſectabatur, calumniabatur, clamore obſtrepebat.

5. CAVOQUE RAMO] Repetendum *in* ex præcedentibus. *Cavo* eſt in parte arboris excavata.

7. ADMOTA PRECE] Eadem phraſis eſt lib. 1. fab. 19. & lib. 4. f. 25.

8. ACCENSA MAGIS EST] Irritata, concitata ad cantandum.

SIBI NULLUM ESSE AUXILIUM] Nihil ſibi eſſe ſubſidii in oratione ſua, contra clamorem Cicadæ.

10. GARRULAM] Allocuta eſt cicadam ſibi moleſtam.

12. SONARE] Qui ſunt tam egregii, ut quis putet ab ipſo Apolline cani.

PUTES] Eſt pro *quis putet* Nec enim Cicada ipſa ſic potuit putare de cantu proprio.

Dicit,

Potare eſt animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit: ſi non faſtidis, veni;
Una bibamus. Illa, quæ ardebat ſiti,
Simul cognovit vocem laudari ſuam,
Cupide advolavit. Noctua egreſſa e cavo
Trepidantem conſectata eſt, & leto dedit.
Sic viva quod negarat, tribuit mortua.

Dicit, cantus ejus eſſe tam elegantes, ut poſſint componi cum cantibus Apollinis.

13. POTARE] Bibere largius, per hilaritatem animi ex cantu.

NECTAR] Potum deorum. Pallas dederat Noctuæ nectar, quia avis eſt ipſi ſacra.

PALLAS] Dea ſapientiæ, Jovis filia, nata ex ipſius cerebro, ut vulgatum eſt. Vid. Fab. ſeq.

14. SI NON FASTIDIS] Si non contemnis nectar illud. Formula humanitatis & civilis elegantiæ.

15. UNA BIBAMUS] Horatius:

Una ſimus, ait.

ILLA, QUÆ ARDEBAT] *Quæ ardebat.* Sic recte, non *quia*, ut nonnulla præferunt exemplaria; ut valeat, *Illa, ut quæ ardebat* &c. Sic hujus lib. fab. 19.

Senſit profecto, ſe hominem non viſum ſeni,
Intempeſtive qui occupato adluſerit.

ARDEBAT] Vehementer ſitiebat.

16. SIMUL] *Simulac*, ut jam ante monuimus.

17. E CAVO] *E cavo ramo*, ut ſupra.

18. LETO DEDIT] Ita lib. 1. f. 22.

Improbam leto dedit.

F A B. X V I I.

ARBORES IN DEORUM TUTELA.

OLIM quas vellent eſſe in tutela ſua, Divi

A D F A B. X V I I.

Extat hæc fabula totidem verbis apud Perottum Cornucop. p. 1042. quam ille dicit ſe adoleſcentem in fabellas ſuas ex Avieno tranſtuliſſe. Quo argumento motus Petrus Scriverius Not. in Martial. p. 88. eo inclinare videtur, ut arbitretur has omnes fabulas eſſe Perotto adſcribendas, ipſumque adeo Phædrum auctorem eſſe ſuppoſititium. Malum vero Perotti dolum ac ſubleſtam fidem merito inſectatur, & Phædro ſuppetias venit Caſp. Barthius, l. 36. Adv. c. 21. ubi & de Camerarii & Faërni Fabulis, quæ hodie quoque circumferuntur, nonnihil. Vid. Ludov. de la Cerda ad Virg. Eclog. VII. p. 142. (quem miror tacere ibi de Phædro, cum & Faërni & Perotti fabulam ex Phædro deſumtam enarret; præcipue cum aliis in locis toties Phædrum citet) & de Faërno quidem Thuanum ad A. CIↃ IↃ LXI. Gudium quoque in notis ad hunc auctorem p. 270.

1. QUAS VELLENT] Quas volebant ſibi ſacras eſſe.

Divi legerunt arbores. Quercus Jovi;
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybebæ, populus celsa Herculi.
Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit. Causam dixit Jupiter:
Honore fructum ne videamur vendere.

At

2. LEGERUNT] Sibi elegerunt.

QUERCUS JOVI] Cum Saturni tempore ante Jovem homines carnibus humanis vescerentur, Jupiter vetuit, ne quis eo cibo uteretur, & a carnibus ad glandes convertit, quæ arbor ab eo primum monstrata, sacra idcirco illi creditur. And. Alciatus l. 2. Embl. XXXII.

Grata Jovi est quercus, qui nos servatque fovetque.
Servanti civem querna corona datur.

3. MYRTUS VENERI] Quia hæc arbor nascitur in litore maris, ubi Venus nata est. Quidam vero volunt idcirco Myrtum esse sacram Veneri, quod Venus Myrto esset ornata, cum Judicio Paridis discessit pulcrior Junone & Pallade. Virg. Ecl. VII.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho,
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

Idem l. 2. Georg.

Solido Paphiæ de robore Myrtus,

ubi vid. Servius. Rursus de Ænea l. 5. Æneid.

Sic fatus velat materna tempora myrto.

Et Ovid. l. 4. Fast. vers 15.

Mota Cytheriaca leviter mea tempora myrto
Contigit.

LAUREA] Laurus. Placuit hæc arbor Phœbo, quia Daphnen ab eo amatam in hanc mutatam ferunt.

4. PINUS CYBEBÆ] Huic Deæ Pinus arbor sacrata fuit, quod Atys, quem deperibat, fuerit in hanc mutatus, ut ait Ovid. l. 10. Metamorphos.

Et succincta comas hirsutaque vertice Pinus,
Grata Deûm matri. siquidem Cybeleius Attis
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

Seneca Troad. Act. 1.

Secuitque fretum pinus matri
Sacra Cybebæ.

Nam sic ibi legendum esse, patet ex eo quod differit Gudius ad hujus libri fab. ultimam. Confirmat & Ursinus ad Virg. Æneid. lib. X. vers. 220.

CYBEBÆ] Dicta est Deorum mater, & per eam terra intelligebatur.

POPULUS CELSA HERCULI] Quia Hercules populo erat ornatus, cum descendit ad inferos, educturus canem Cerberum. Virg. in Eclogis, ut jam vidimus,

Populus Alcidæ gratissima.

Idem in Georg. l. 2. vers. 66.

Herculeæque arbos umbrosa coronæ.

& lib. 8. Æn. vers. 276.

Herculea bicolor cum populus umbra.

Quod & imitatus est Alciatus l. 2. Embl. XLI.

Herculeos crines bicolor quod populus ornet.

Ovid. Heroid. Ep. 9. vers 64.

Aptior Herculeæ populus alba comæ.

Theocr. in Pharmac. λεύκαν, id est, *populum*, dicit esse Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος, *Herculis sacram plantam.* Quin nulla alia ratio est, cur magni Heroës populeas gestarent coronas, quam ad imitationem fortissimi Herculis. Sic apud Horatium

Teucer Salamina patremque
Cum fugeret, tamen uda Lyæo
Tempora populea fertur cinxisse corona.

Aliæ tamen arbores & sacræ Herculi. Tertullian. lib. de coronis: *Hercules nunc Populum capite præfert, nunc Oleastrum, nunc Apium.*

7. HONORE] Elegimus arbores nullos ferentes fructus, ne videamur, si quando homines nos colunt, vendere fructum illarum arborum pro honore nobis præstito. Alii legunt, *Honorem fructu* &c. nempe dando hominibus fructum pro honore, quo nos afficiunt.

8. AT

PAVO AD JUNONEM DEVOCES QUA.



FAB. XVIII.

APUS AD GARRULUM AVIUM.



FAB. XIX.

LINUS ET GALLI.



FAB. XX.

MUSTELA. FURIBUNDUS.



FAB. I.



LIB. IV.

PULEX ET VIATOR.



FAB. II.

At mehercule narrabit, quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum eſt gratior.
Tunc ſic Deorum genitor atque hominum ſator:
O nata, merito ſapiens dicere omnibus:
Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.
Nihil agere, quod non proſit, fabella admonet.

8. AT MEHERCULE] Verba ſunt Minervæ refutantis Jovem. Obſervandum eſt in hac affirmandi vel jurandi formula inductam hic Minervam humano more loquentem, quia per Deos jurare hominum eſt: præterea hoc juramenti genus, quod hic affingitur Minervæ, virile eſſe proprie, non fœmineum. Aul. Gell. XI. 6. *Nuſquam ſcriptum invenire eſt apud idoneos quidem ſcriptores, aut Mehercule fœminam dicere, aut Mecaſtor virum.* Vide autem quid notaverimus ad Fab. I. l. I. verſ. 12.

NARRABIT] Quiſque narret quod volet. Proverbialis locutio. Sic nos fere Belg. *Men mag zeggen, wat men wil.*

9. OLIVA] Pallas olivæ plantationem invenit. Arnobius adverſus gentes l. I. *Si enim vos Liberum, quod uſum repererit vini, ſi Minervam, quod Oleæ, divorum retuliſtis in cœtum* &c. *Oliva* dicitur proprie de fructu, *olea* de arbore. Hic vero de arbore *oliva* dicitur.

10. TUNC SIC] Tum ſic Deorum pater locutus eſt.

SATOR] Creator hominum Jupiter. Virg. l. I. Æn.

Olli ſubridens hominum ſator atque Deorum
Oſcula libavit natæ.

11. DICERE] Diceris, haberis ab omnibus. Minerva enim Dea ſapientiæ.

12. NISI UTILE EST] Hanc ſententiam

NISI. UTILE. EST. QUOD. FACIMUS
STULTA. EST. GLORIA

iiſdem verbis conceptam Zamoſcius, narrante Gudio, in lapide invenit. Quam deinde Gruterus recepit in corpus Inſcriptionum. Quod corpus ingenti ſtudiorum emolumento jam denuo magnis ſumtibus excuditur a Franciſco Halma, cui debes hanc elegantem, quam damus, Phædri editionem.

13. NIHIL AGERE] Ne faciamus quippiam quod non ſit utile. Eſt & hic verſus l. 4. f. 23. Sed cum dubitent eruditi, an Phædri ſit, optimas editiones ſecuti eum omiſimus.

FAB. XVIII.

PAVO AD JUNONEM.

PAVO ad Junonem venit, indigne ferens,
Cantus luſcinii quod ſibi non tribuerit:
Illum

AD FAB. XVIII.

Confer cum hac Fab. Camerarium fab. 225.

1. PAVO] Avis Junoni ſacra, & in ejus tutela.

2. LUSCINII] Solius pœne Phædri eſt, quod *Luſcinius* dicitur hic, quæ vulgo tantum *luſcinia*. Sic ſupra f. 4. *Simius* eſt pro *Simia*.

Illum eſſe cunctis auribus admirabilem,
Se derideri, ſimul ac vocem miſerit.
Tunc conſolandi gratia dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine,
Nitor ſmaragdi collo præfulget tuo,
Pictiſque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mi, inquit, mutam ſpeciem, ſi vincor ſono?
Fatorum arbitrio partes ſunt vobis datæ:
Tibi forma, vires aquilæ, luſcinio melos,
Augurium corvo, læva cornici omina,
Omneſque propriis ſunt contentæ dotibus.

¶ Noli

3. AURIBUS] Sic optime ex MSS. reſtituit Gudius, probante Heinſio. Pro quo vulgo eſt *avibus*.

4. SIMUL AC] Schefferus dum putat τὸ *ac* hic poſſe deleri, ut ſalvo ſenſu nonnumquam fit, non videt certum exitium ſic naſci verſui. Sic enim tertia ſede erit trochæus. quod reſpuunt hujus carminis leges. Quod miror in homine, tam egregie merito de hoc Auctore. Adeo verum eſt neminem omnibus horis ſapere.

MISERIT] Emiſerit, ediderit.

5. CONSOLANDI GRATIA] Ut illam conſolaretur.

6. SED FORMA VINCIS] Luſcinius valet quidem cantu, ſed tu forma & magnitudine eum vincis.

7. SMARAGDI] Qualis eſt in Smaragdo. Collum tuum inſtar Smaragdi fulget.

8. GEMMEAM CAUDAM] Quaſi plenam gemmarum. Significat: Caudam quoties expandis, habes diverſicoloribus plumis gemmantem, & quaſi gemmis lucentem. Ovid. Metam. l. 1. verſ. 723. de oculis Argi:

Excipit hos, volucriſque ſuæ Saturnia pennis
Collocat; & gemmis caudam ſtellantibus implet.

9. QUO MI] Supple *tu dediſti*, vel *dii dederunt*. Illud *quo* integre eſt, *quo fine*, *ad quod mihi*, *cui uſui mihi*? Hor. l. 1. Ep. 5.

Quo mihi fortunam, ſi non conceditur uti?

10. FATORUM] Verba iſta Junonis ſunt. Ait, debere ipſam acquieſcere in voluntate fatorum.

PARTES] Vult, cuilibet ſuam & peculiarem tributam eſſe partem. Locutio deſumta eſt a comicis, ubi partes cuique deſignantur: alter enim perſonam principis, alter patris agit, & ita porro.

VOBIS] Sc. avibus.

11. MELOS] Cantus, ut verſ. 1. cum apta vocis modulatione & flexu.

12. LÆVA] Ut a læva ſedens faciat bona omina. Cicer. de Divinatione 11. *A dextra corvus, a ſiniſtra cornix facit rata.* Virg. in Ecl.

Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab Ilice cornix.

Juſſu enim Jovis canebat cornix a læva, corvus a dextra. Plautus Aſinar. 2. 1. 12.

Impetritum, inauguratum eſt: quovis admittunt aves.
Picus & cornix eſt ab læva; corvus porro ab dextera.

13. DOTIBUS] Ita recte Heinſius. Ut enim vox recte dicatur de Luſcinio, Corvo, & Cornice, quid ea ad Aquilam, quam viribus præditam dicit? *Dos* eſt naturalis quædam bonitas, quæ huic illive eſt ingenita. Ovid. de Arte:

Si vox eſt canta, ſi mollia brachia, ſalta,
Et quacunque potes dote placere, place.

14. Noli

¶ Noli adfectare quod tibi non eſt datum,
Deluſa ne ſpes ad querelam recidat.

14. NOLI ADFECTARE] Quia, ut ait Phædrus in Fabula Canis,

Amittit merito proprium qui alienum adpetit:

ut etiam Camelus in fabulis, qui poſcens cornua, auribus quoque privatus eſt.

ADFECTARE] Ambire, quærere.

15. DELUSA] Quia, ut infra eſt l. 5. fab. 6. *Quem ſpes deluſit, huic querela convenit.* Eſt itaque ſenſus: ne deſtituaris ſpe tua, & ita redigaris ad querelas.

RECIDAT] Prima ſyllaba hic producitur. Vid. Gifan. ad Lucr. ind. & Scal. Lect. Auſon. lib. 2. c. 21.

FAB. XIX.

ÆSOPUS AD GARRULUM.

ÆSOPUS domino ſolus cum eſſet familia,
Parare cœnam juſſus eſt maturius.
Ignem ergo quærens, aliquot luſtravit domos;
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circumeunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius: namque recta per forum
Cœpit redire; & quidam e turba garrulus,
Æſope, medio ſole quid cum lumine?

Homi-

AD FAB. XIX.

1. CUM ESSET] Cum ei eſſet unicus ſervulus: nam alias unicus ſervus non facit familiam, ut Cicero inquit. videtur ergo Ironice hoc Phædrus dixiſſe. Vid. Pignor. de ſervis p. 21.

FAMILIA] Familiæ appellatione omnes, qui in ſervitio ſunt, continentur, inquit Ulpianus.

2. MATURIUS] Ocius, celerius ſcilicet, quam pro conſuetudine.

3. IGNEM] Ignem non ſemper veteres domi ſuæ excitabant, ſed a vicinis plerumque petebant: neque enim facile negare petenti licebat. Videbatur enim hoc valde alienum eſſe ab ipſa humanitate, & vita hominum atque natura, quæ aqua & igni carere non poteſt.

6. EFFECIT BREVIUS] Per compendia ivit.

7. COEPIT REDIRE] De hac formula jam locuti ſumus l. 1. fab. 2. & 12. & alibi. C. Nepos IV. 4. *Tanto magis Pauſanias orare cœpit.* Petronius: *Curſim Aſcylton perſequi cœpi.* Et ſic Græci quoque. Matth. Euangeliſta XXVI. 37. Ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, *cœpit contriſtari & mœſtus eſſe.* Et ſic alii.

8. MEDIO SOLE] Meridie, medio die: ut apud Stat. 5 Theb. Sic Horat l. 1. Epiſt. 5. *Supremo*

Hominem, inquit, quæro; & abiit festinans domum.

¶ Hoc si molestus ille ad animum rettulit,
Sensit profecto, se hominem non visum seni,
Intempestive qui occupato adluserit.

Supremo sole, pro vespere.

QUID] *Quid facis*? elliptice.

9. HOMINEM, INQUIT, QUÆRO] Ita Diogenes olim Cynicus luce clara per forum turba confertum cum lumine discurrebat, aliquid requirenti similis. Interrogatus ergo, quid sibi vellet; Hominem, inquit, quæro. Significans plurimos occurrere, qui formam haberent hominis, mentem non haberent.

10. MOLESTUS] Garrulus ille.

RETTULIT] Consideravit, examinavit animo, intellexit, sibi applicuit.

11. SENI] Sic in aliis etiam locis Æsopum vocari vidimus. Neque enim semper decrepitum, annis gravem, vel ætate confectum significare videtur, sed nonnunquam blandius esse nomen, honoris & reverentiæ causa quod sit inditum. Sic γέροντες apud Græcos appellati viri graves.

12. ADLUSERIT] Jocari voluerit, & otiose garrire cum occupato. Terent. Eun. 3. 1. 34. *Forte habui scortum: cœpit ad id alludere.*

FAB. XX.

ASINUS ET GALLI.

QUI natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
Galli Cybebes circum in quæstus ducere
Asinum

AD FAB. XX.

2. TRISTEM] Propter varias calamitates, laboriosam, ærumnosam.

DECURRIT] Transigit miseram vitam. Terent. Adelph. 5. 4. *Prope jam decurso spatio.*

3. DURA] Ex sententia communi moratarum gentium, apud quas pœnæ ac supplicia habentur, quæ fiunt in corporibus defunctorum contra consuetudinem.

4. GALLI] Sacerdotes castrati, Galli dicti a Gallo fluvio Phrygiæ.

CYBEBES] *Cybebe* est Isis, Terra Mater, Mater magna Deum. Dicitur & *Cybele* media syllaba correpta, quæ semper producitur in *Cybebe*. Nam Græcis est Κυβήβη & Κυβέλη. Vid. huj. l. f. 17.

CIRCUM IN QUÆSTUS] *Circum in quæstus ducere* dicitur eleganti tmesi, pro circumducere ad quæstus faciendos. Sic fab. 1. lib. 1. *male, ait, dixisti mihi.* pro *maledixisti mihi.* Alii volunt esse *circumducere quæstus*, pro *quæstus gratia*, ellipsi Græcissante. Gronovius pater præfert *circum cœtus ducere*, id est, oppida, fora, conciliabula.

5. ASI-

Aſinum ſolebant, bajulantem ſarcinas.
Is quum labore & plagis eſſet mortuus,
Detracta pelle ſibi fecerunt tympana.
Rogati mox à quodam, delicio ſuo,
Quidnam feciſſent, hoc locuti ſunt modo:
Putabat ſe poſt mortem ſecurum fore,
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

EXPLICIT LIB. III.

5. ASINUM] Solennem ad talia eorum miniſtrum atque bajulum. Apul. Metam. l. IX. *Ad iſtum modum vitato duplici periculo, die ſequenti rurſum diviniis exuviis onuſtus, cum crotalis, & cymbalis circumforaneum mendicabulum producor ad viam.*

7. TYMPANA] Quibus ſolenniter utebantur. Sic apud Schoonhovium Embl. LXV. fiſtulæ fiunt ex aſini mortui oſſibus.

8. DELICIO] *Delicium* vocabant puerum, quem in amoribus habebant. Adeo enim hoc uſitatum erat Græcis, ut etiam turpe eſſet puero, amatorem nullum reperire. Vid. C. Nepotis præfatio. Apulei. in Apologia,

Et Critias mea delicia & lux alma Charine.

Græci παίγνια vocabant. Plutarch. in Antonio, παιδάρια παιγνίων, ἃ Ῥωμαῖοι Δελίκια καλοῦσι.

9. HOC LOCUTI SUNT MODO] Sup. l. 1. fab. 5.

Sic eſt locutus, partibus factis, leo.

Item Fab. 27.

Quem ſtans Vulturius ſuper
Fertur locutus.

Et ſic alibi.

10. SECURUM] Liberum ab omni labore & plagis.

11. PLAGÆ] Plagarum meminit Phædrus, quia hæc tympana aliquando virgula percutiebantur, aliquando manu impellebantur. Ovid. l. 4. Met.

Fœmineæ voces, impulſaque tympana palmis.

Sed vid. de iſtiuſmodi tympanis Pignorium de ſervis p. 172.

MORTUO] Dativus eſt, pro *in mortuum.*



M PHÆ-

PHÆDRI FABULARUM LIBER QUARTUS.

FAB. I.

MUSTELA ET MURES.



OCULARE tibi videtur: & ſane leve,
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus;
Sed diligenter intuere has nenias.
Quantam ſub illis utilitatem reperies?
Non ſemper ea ſunt, quæ videntur, decipit
Frons prima multos: rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

Hoc

AD LIBR. IV. FAB. I.

1. OCULARE] Sic *jocari fabulis* hoc vocat lib. 1. fabul. 1.

2. CALAMO LUDIMUS] Scriptis jocamur.

3. NENIAS] Fabulas reſpicit. Vid. l. 3. prol. ad Eutychum.

4. UTILITATEM] Poëtæ, ut ait Satyricus,

Et jucunda ſimul dicunt & idonea vitæ.

5. QUÆ VIDENTUR] Quæ videntur, non ſemper ea ſunt, videlicet quæ videntur, ſæpe meliora, ſæpe deteriora, quam primo intuitu comparent.

6. FRONS PRIMA] Prima ſpecies multos fallit. Idem Romanus Satyricus ſat. 2.

Fronti nulla fides.

RARA MENS] Non obvia uniuſcujuſque mens, ſed provida & perſpicax, qualis eſſe ſolet rara.

7. QUOD INTERIORE] Quod auctoris induſtria occultavit, & quaſi involvit fabularum involucris.

8. SINE

Hoc ne locutus ſine mercede exiſtimer,
Fabellam adjiciam de muſtela & muribus.
MUſtela quum annis & ſenecta debilis
Mures veloces non valeret adſequi,
Involvit ſe farina, & obſcuro loco
Abjecit negligenter. Mus, eſcam putans,
Adſiluit, & compreſſus occubuit neci:
Alter ſimiliter, deinde periit tertius.
Aliquot ſecutis, venit & retorridus,
Qui ſæpe laqueos & muſcipula effugerat,
Proculque inſidias cernens hoſtis callidi:
Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ jaces.

FAB.

8. SINE MERCEDE] Ne videar fruſtra & gratis dixiſſe, non intelligi a quovis, quid fabulis ſubſit eruditionis ſapientiæque, en vobis aliquam de muſtela & muribus, in qua poteſtis experiri vires veſtras, & oſtendere quid innuat.

16. MUSTELA] Sic fere orditur hanc fabulam Camerarius, Sed in fine facit mures ab ea devorari. Vid. ejus Fab. 279. Apud Faërnum Muſtela aut Feles alio dolo utitur, ſed fruſtra, caventibus ſibi, ut hic retorridus iſte, muribus. Vid. eum pag. 117.

ANNIS ET SENECTA DEBILIS] Lib. 1. fab. 21. de Leone,

Defectus annis & deſertus viribus.

11. ADSEQUI] Attingere curſu.

12. INVOLVIT SE] Volvit ſe in farina, & volutando in ea, ſic opplevit exterius, ut tota farina videretur.

13. ABJECIT] Sc. *Se*; velut rem vilem, quam & idcirco abjectam appellamus.

14. COMPRESSUS] Oppreſſus. Al. *Comprenſus.*

OCCUBUIT NECI] Sic *occumbere morti* eſt apud Virg. 2 Æn.

16. RETORRIDUS] *Retorridus* idem eſt, quod *recoctus*, id eſt, exercitatus, & multarum rerum uſu peritus.

19. SIC VALEAS] Formula, qua oſtendit ſe non habere fidem jacenti. Sic mus ille apud Æſopum ad felem, ſe mortuam ſimulantem: *Heus tu, etſi ſaccus fieres, non te adibo.* Eſt itaque, Valeas velut intelligo te farinam non eſſe. Antonius apud Sueton. ad Auguſtum: *Ita valeas uti tu, hanc epiſtolam cum leges, non inieris* &c.

QUÆ JACES] Reſpicit ſuperius *abjecit ſe*, quaſi diceret: Simulas te jacere immobilem, farinæ inſtar: verum ſi accederem propius, fieres animata, mobiliſque, meque arriperes.

FAB. II.

VULPIS ET UVA.

FAME coacta Vulpis alta in vinea
Uvam adpetebat ſummis ſaliens viribus:
Quam tangere ut non potuit, diſcedens ait:
Nondum matura eſt, nolo acerbam ſumere.
Qui facere quæ non poſſunt, verbis elevant,
Adſcribere hoc debebunt exemplum ſibi.

AD FAB. II.

1. FAME COACTA VULPIS] Vid. Faërnum hexametris hanc fabulam complexum, pag. 37. & Camerar. fab. 159.

ALTA] Ad perticas ligata & erecta.

2. SUMMIS] Quantis poterat. *Totis viribus* eſt lib. 1. fab. 11.

3. UT NON POTUIT] Poſtquam non potuit.

4. ACERBAM] Immaturam, nondum percoctam. Contrarium eſt *mitis*. Virg. Ecl. 1.

Sunt nobis mitia poma.

5. ELEVANT] Levia & vilia eſſe dicunt, contemnunt.

6. ADSCRIBERE] Applicare, attribuere ſibi: Sibi dictum putent. Sic lib. 1. fab. 7.

EXEMPLUM] Fabulam, narrationem. Sic enim alibi.

FAB. III.

EQUUS ET APER.

EQUUS ſedare ſolitus quo fuerat ſitim,
Dum ſeſe Aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis eſt: ſonipes iratus fero,
Auxi-

AD FAB. III.

1. QUO] Refertur ad ſequens *vadum*, pro *in quo*, omiſſa præpoſitione. Ordo eſt: *Aper turbavit vadum, equus fuerat ſolitus ſedare ſitim quo, dum volutat ſeſe.*

2. VOLUTAT] *Porcus de luto, in quo volutabatur* &c. Camer. fab. 317.

VADUM] *Vadum* aqua, quæ poteſt vadari.

3. SONIPES] Sic equus paſſim apud poëtas. Virg. lib. IV Æn.

Stat ſonipes & frena ferox ſpumantia mandit.

Statius lib. 9.

Turbatus ſonipes.

& ſæpe


EQUUS. ET APER.
FAB. III.


PORTA.
FAB. IV.


MURIUM. ET MUSTELARUM PUGNA
FAB. V.


HAEDRUS.
FAB. VI.


SERPENS AD FABRUM FERRARIUM
FAB. VII.


VIPERUS. ET CAPER.
FAB. VIII.

Auxilium petiit hominis, quem dorſo levans
Rediit ad hoſtem. Jactis hunc telis eques
Poſtquam interfecit, ſic locutus traditur:
Lætor tuliſſe auxilium me precibus tuis:
Nam prædam cepi, & didici quam ſis utilis.
Atque ita coëgit frenos invitum pati.
Tum mœſtus ille: Parvæ vindictam rei
Dum quæro demens, ſervitutem repperi.
Hæc iracundos admonebit fabula,
Impune potius lædi, quam dedi alteri.

FAB.

& ſæpe alibi apud eundem. Sed vix intelligo, quomodo huic loco poſſit convenire, cum pateat eſſe ſermonem de equo nondum ſoleis ferreis munito, unde pedes ſonum ſolent edere. quales ſunt, qui nondum jugum ſunt paſſi. Expendant doctiores.

FERO] Adjective hic pro *apro* uſurpatur. Sic lib. 1. fab. 12. de Cervo. Quem locum adi.

4. LEVANS] Tollens e terra, dum in ſe recipit ſeſſorem.

5. HUNC] Nempe aprum.

EQUES] Homo, qui ſic fiebat eques. Non capio quid velit Gudius ſic diſponens hunc locum:

Petit auxilium hominis, quem dorſo levans redit
Ad hoſtem lætus: jactis hunc telis eques &c.

7. PRECIBUS TUIS] Tibi precanti, & auxilium meum petenti.

11. SERVITUTEM REPPERI] Incidi in ſervitutem. Horatius Epiſt. lib. 1. 10. de Equo & Cervo:

Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frenumque recepit.
Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte,
Non equitem dorſo, non frenum depulit ore.

13. POTIUS LÆDI] *Potius*, id eſt, melius eſſe, *lædi impune*, hoc eſt nulla ſequente pœna læſionem eam, quam vindicandi cauſa in alterius poteſtatem venire.

LÆDI, QUAM DEDI] Παρονομασία & ἀνταναάκλασις elegans.



FAB. IV.

POETA.

PLUS esse in uno sæpe, quam in turba boni,
Narratione posteris tradam brevi.
Quidam decedens tres reliquit filias,
Unam formosam, & oculis venantem viros;
At alteram lanificam, frugi & rusticam;
Devotam vino tertiam, & turpissimam.
Harum autem matrem fecit hæredem senex,
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Æqualiter distribuat: sed tali modo,

Ne

AD FAB. IV.

1. IN UNO] Homine. Vid. Justin. 5. 4. 12. C. Nep. 2. 5. 3. & 15. 10. 4. & ibi interpretes. Cic. pro Leg. Manil. cap. 11. 12. His adde Mich. Piccart. Dec. 3. c. 7. & Dominicum Baudium in Trochaicis sic canentem:

Sæpe nam majora facta præstat unius viri
Pectus acre, quam phalanges conglobatæ militum.

TURBA] Hominum multitudine.

2. POSTERIS] Immortalitatem speravit suis scriptis Phædrus, ut non modo ex his verbis colligi potest, sed & aliunde intelligitur. Supra Prol. libr. 3.

Habebunt certe, quo se oblectent posteri.

Prol. lib. 5.

Longaque dignum judicatis memoria.

Infra lib. 5. fab. 5.

Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis.

Sed hoc illi commune est cum antiquissimis etiam poëtis, Ennio, Nævio, Horatio, Ovidio, & aliis, quos referre mora est.

TRADAM] Docebo. proprie dicitur de scriptoribus.

3. DECEDENS] Proprie dicitur de mortuis lege naturali. Nepos Attic. 2. *Pater mature decessit.*

4. OCULIS VENANTEM VIROS] Venari dicitur mulier, quæ captat & vulnerat oculis. Ovid.

Oculis venatur amorem.

Plautus dixit, *Oculis venaturam facere.* Talem dixit Apul. Apol. *Juvenum circumspectatricem.* Seneca Declam. 6. *puellari lenocinio oculos circumdare.* Prudentius, *vagari oculis.* D. Ambros. de Virg. 3. *Ludere oculis, rotare cervicem.* E Græcis Lucianus, ἐπιβάλλειν τοῖς νέοις τὰς ὀφθαλμάς.

5. LANIFICAM] *Lanæ deditam*, infra.

FRUGI] Antiquus nominativus hujus vocis est *frux*. Vid. de ea Sanctii Minerv. lib. 4. de Ellipsi, & ibi doctissimum Perizonium.

6. DEVOTAM] Deditam, ut paulo post *Lanæ deditam.*

8. SUB CONDITIONE] Hac lege, hac limitatione.

FORTUNAM] Rem familiarem, bona hæreditaria. Magis usu receptum est hoc sensu in plurali numero dicere *fortunas.*

10. AUT

Ne data poſſideant aut fruantur; tum ſimul
Habere res deſierint, quas acceperint,
Centena matri conferant ſeſtertia.
Athenas rumor implet; mater ſedula
Juriſperitos conſulit: nemo expedit
Quo pacto non poſſideant, quod fuerit datum,
Fructumve capiant; deinde, quæ tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Poſtquam conſumpta eſt temporis longi mora,
Nec teſtamenti potuit ſenſus colligi,
Fidem advocavit, jure neglecto, parens:
Seponit Mœchæ veſtem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos, glabros:
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta, & inſtrumentum ruſticum:
Potrici,

10. AUT FRUANTUR] Aut iis fruantur. Caſus enim hic eſt diverſus, niſi antique ſumas, *frui data*, ut apud Ciceronem, *Mea bona utantur.*

12. CENTENA] Hoc eſt centum ſingulæ: duos mille & quingentos coronatos. Vid. Gron. de Seſtertiis.

13. ATHENAS RUMOR IMPLET] Per totam urbem rumor ſpargitur tale teſtamentum eſſe compoſitum.

14. CONSULIT] Proprie de peritis juris, unde & *conſulti* nominantur.

EXPEDIT] Explicat, exponit rem.

16. FRUCTUMVE CAPIANT] Repetenda eſt negatio ex ſuperiore verſu.

TULERINT] Nihil acceperint.

19. COLLIGI] Percipi, intelligi, expediri.

20. FIDEM ADVOCAVIT] Eleganter & proprie. Advocantur enim, a quibus jus exquiritur. Cæterum quia, qui ſuggerere jus debuerant, non poterant id explicare, ideo hic *fidem* advocat. Intelligit autem fidem bonam, ex qua teſtamento ſtudet ſatisfacere, quando ex jure non poteſt.

21. VESTEM, MUNDUM MULIEBREM] Conjunxit & Terent. Heaut. 4. 4. *Aurum, atque veſtem.* Nam aurum ibi eſt, quod hic *mundus muliebris.*

22. LAVATIONEM] Vas ingens lotioni deſtinatum.

GLABROS] Leves, imberbes, depiles propter ætatem, natura differentes ab Eunuchis.

24. JUMENTA] Equos intelligit, atque ſic a bovibus diſtinguit. Nepos Eumene, c. 5. *Ut jumenta æque nitida ex caſtello educeret.*

25. POTRI-

Potrici, plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam & delicatos hortulos.
Sic deſtinata dare cum vellet ſingulis,
Et adprobaret populus, qui illas noverat,
Æſopus media ſubito in turba conſtitit:
O ſi maneret condito ſenſus patri,
Quam graviter ferret, quod voluntatem ſuam
Interpretari non potuiſſent Attici!
Rogatus deinde, ſolvit errorem omnium.
Domum & ornamenta, cum venuſtis hortulis,
Et vina vetera date lanificæ ruſticæ:
Veſtem, uniones, pediſequos, & cætera
Illi adſignate, vitam quæ luxu trahit:

Agros,

25. POTRICI] Ter. And. 1. 4. *compotricem* dixit.

APOTHECAM] Cellam, ubi diſponebant & cuſtodiebant cados.

CADIS] *Cadus* eſt vas vinarium ingens, capiens vini libras centum. Addit *antiquis*, quia tales pretioſiores.

26. POLITAM] Perfectam abſolutamque omni ratione.

DELICATOS] *Venuſtos*, ut mox. Martialis:

Ruris bibliotheca delicati.

Rus enim iſtic eſt hortus.

HORTULOS] Vid. Demſter. ad Roſin. l. 1. c. 11. Lipſ. de Conſtantia l. 2. cap. 1. 2. 3. & Antiq. Lection. lib. 3.

30. O SI MANERET] Subintellige, conſtitit & ſic locutus eſt. Si poſſet conditus ſepultuſque nunc videre, quam male vos intelligatis ſuam voluntatem. Notandum veteres, quia dubitabant, an ſenſus rerum humanarum ad defunctos pertingeret, creberrime his uſos eſſe & ſimilibus formulis, *Si quis manium ſenſus eſt: ſi quis in morte ſenſus eſt: ſi quis etiam inferis ſenſus: ſi quis defuncti ſenſus eſt: ſi quid inferi ſentiunt: ſi quis poſt funera ſenſus: ſi quid habet ſenſus umbra: ſi manes poſt fata aliquid ſentiunt.* Propertius lib. 4.

Nigras ſi quid ſapis inter arenas.

Nemeſian. Ecl. 1.

Si ſentire datur poſt fata quietis.

31. VOLUNTATEM SUAM] Teſtamentum: eſt enim voluntas ultima.

33. SOLVIT] Eleganter, quia eo tenebantur, velut vincti; quod apparet ſup. verſ. 14. *Nemo expedit.*

35. VINA VETERA] *Plenam antiquis apothecam cadis.*

36. VESTEM, UNIONES] Supra verſ. 21. *veſtem, mundum muliebrem.*

PEDISEQUOS] Omnino ſic ſcribendum eſt, ut verſus ſtet, non *pediſſequos.*

37. LUXU] Luxus, qui alias latius patet, hic ſtricte accipitur pro ebrietate ſeu temulentia. Significat ergo, quæ tam luxurioſe vivit, ut in convivia & compotationes multos ſumtus impendat & profundat.

TRAHIT] Velut reluctantem & invitam, quan-

Agros, villas, & pecora cum paſtoribus
Donate mœchæ. Nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum ſuis.
Deformis cultum vendet, ut vinum paret;
Agros abjiciet mœcha, ut ornatum paret:
At illa gaudens pecore, & lanæ dedita,
Quacumque ſumma tradet luxuriæ domum.
Sic nulla poſſidebit quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint ſingulæ.
Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Unius hominis repperit ſolertia.

quando vita ebrioſorum morti ſimilior eſt quam vitæ.

39. PERPETI] Ferre, ſuſtinere, pati. Ter. Heaut. 4. 4.

Non poſſum pati,
Quin tibi caput demulceam.

40. MORIBUS] Non regi hunc ablativum ab *alienus*, ſed a ſubintellecta præpoſitione *a* docet Voſſius de Conſtruction. cap. 14.

TENEAT] Retineat quid, quod non conveniat cum moribus ſuis.

42. ABJICIET] Vili pretio vendet. Quod Belgice exprimimus, *Voor een leur en een zeur verkoopen.* Plaut. Moſtell. 3. 3.

Numquam ædepol me ſcio
Vidiſſe uſquam abjectas ædes, niſi modo haſce.

Quod recte exponit Lambinus, vili pretio venditas, & pro nihilo traditas. Sic Seneca *abjicere beneficium* pro cum contemtu & faſtidio dare l. 1. de ben. c. 1. Nec aliter Terentius.

PARET] Comparet ſibi pecunia, emat. Sic Ter. Heaut. 4. 4. *Aurum atque veſtem qui comparet.*

44. QUACUNQUE SUMMA] Viliſſimo etiam pretio.

46. DICTAM] Præſcriptam, conſtitutam. Sic *dotem dicere* apud Terent. Heaut. 5. 1.

48. FUGIT] Fugiſſe nos dicitur id, quod ignoramus, aut cujus obliti ſumus.

49. SOLERTIA] Unus homo ſolers reperit id, quod *multi* aut, ut initio dixit, *turba*, reperire, id eſt, exponere non potuerunt. Confirmat enim his verbis id, quod ante dixerat,

Plus eſſe in uno ſæpe, quam in turba, boni.

FAB. V.

PUGNA MURIUM ET MUSTELARUM.

QUUM victi Mures Muſtelarum exercitu,
(Hiſtoria quorum in tabernis pingitur)
Fugerent, & artos circum trepidarent cavos;
Ægre recepti, tamen evaſerunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conſpicuum in prælio
Haberent ſignum, quod ſequerentur milites,
Hæſere in portis, ſuntque capti ab hoſtibus;
Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi merſit tartareo ſpecu.
Quemcumque populum triſtis eventus premit,
Peri-

AD FABULAM V.

2. HISTORIA] Ita legi vult Gudius, neglecta eliſione in ſecunda voce, & ſe aliis poëtæ noſtri exemplis tuetur. Heinſius, ne quid verſui deſit,

Hiſtoria quorum & in tabernis pingitur.

TABERNIS] *Tabernæ* hoc loco intelliguntur omnes, quæ ſunt popularis uſus.

PINGITUR] Ex conſuetudine.

3. ARTOS] Circa anguſtos introitus cubilium ſuorum tumultuarentur, dum quiſque primus cupit erumpere.

CIRCUM TREPIDARENT] *Circum* poſtponitur hic caſui ſuo, quod poëtis familiare. Virg. 1 Æneid.

Errabant acti fatis maria omnia circum.

TREPIDARENT] Non eſt *expaveſcerent*, aut *paverent*, ſed, per ſollicitudinem feſtinarent intrare. Qua ſignificatione uſurpatur quoque apud Terent. Hec. *Trepidari ſentio:* & apud Virg. lib. 4 Æncid.

Dum trepidant alæ.

Et ſic alibi.

CAVOS] Vel *cava*, quæ murium domicilia.

4. RECEPTI] Sc. *cavis*. Uſurpatur hæc vox de loco tuto, unde quoque *receptaculorum* nomen.

6. LIGARANT] Pro *alligârant*, aut ligârant in capitibus.

7. SIGNUM] Notam, qua duces a gregariis diſcernerentur.

8. HÆSERE] Obhæſere, ob amplitudinem cornuum.

9. IMMOLATOS] Mactatos, per Catachreſin. Nam *immolandi* verbum ad ſacrificia proprie pertinet. Fab. hujus libri 23.

Ubi immolatur, exta prægusto Deûm.

10. MERSIT] Devoravit. Grandis & poëtica locutio.

12. PERI-

Periclitatur magnitudo principum,
Minuta plebes facili præſidio latet.

12. PERICLITATUR] Periclitari ſolent principes propter ſuam magnitudinem. Similis fere ſententia fuit ſupra lib. 2. fab. 7.

Tuta eſt hominum tenuitas.
Magnæ periclo ſunt opes obnoxiæ.

Contraria tamen huic præſenti eſt lib. 1. fab. 30.

Humiles laborant, ubi potentes diſſident.

Quin & ita Horat. in Epiſt.

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

13. PLEBES] Plebs. Occurrit hæc vox apud optimos ſcriptores: ſed dicitur & *plebis*, eodem nempe modo, ut *vulpes* & *vulpis*, *grues* & *gruis*.

FACILI] Quia facile præſidium aliquod invenit.

LATET] Tuta eſt, libera a periculo, quod principibus imminet.

FAB. VI.

POETA.

Tu qui naſute ſcripta deſtringis mea,
Et hoc jocorum legere faſtidis genus,
Parva libellum ſuſtine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuæ,
Et in cothurnis prodit Æſopus novis.

¶ Uti-

AD FAB. VI.

1. TU QUI] Poëta hic alloquitur harum fabularum cenſores. Ordo eſt, *O naſute, qui* &c. Niſi forte *naſute* ſit adverbium. *Naſutus* eſt, qui ſagacius aliis ſe putat hominum errores vitiaque odorari. Talem & nos Belgæ vocamus *neuswys*. Martialis lib. XIII. ad Lectorem:

Naſutus ſis uſque licet, ſis denique naſus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas;
Et poſſis ipſum tu deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas.

DESTRINGIS] Carpis. Sic ſup. lib. 1. fab. 29.

Gravi deſtringunt alios contumelia.

2. JOCORUM] Vid. ſup. prol. lib. 1.

3. SUSTINE] Tene, non abjice ſtatim faſtidio quodam tam minutæ ſcriptionis.

4. SEVERITATEM] Illam moroſitatem tuam, qua fit ut obducta fronte hos verſus inſpicias.

5. ET IN COTHURNIS] Exſpecta, ait, nec abjice libellum, donec te placem, & Æſopus prodeat in cothurnis, id eſt donec novo, & tragœdiæ convenienti ſermone utentem eum audias; id quod vocat *novum*, quia inuſitatum Æſopo fabuliſque ejus. *Cothurnus* autem erat calceamenti genus, quo actores Tragœdiarum utebantur. Atque hinc pro ſublimiori dicendi genere uſurpatur. Ovid. 2 Triſt.

Et dedimus tragicis ſcriptum regale cothurnis,
Quæque gravis debet verba cothurnus habet.

¶ Utinam nec umquam Pelii nemoris jugo,
Pinus bipenni concidiſſet Theſſala:
Nec ad profeſſæ mortis audacem viam
Fabricaſſet Argus opere Palladio ratem,
Inhoſpitalis prima quæ Ponti ſinus
Patefecit, in perniciem Graiûm & Barbarûm.
Namque & ſuperbi luget Æetæ domus,
Et regna Peliæ ſcelere Medeæ jacent,
Quæ ſævum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris explicuit fugam,

Hic

6. UTINAM NEC UMQUAM] *Nec* hic idem ac non, ut ſæpe apud Virgil. Simulat autem poëta ſe ſcripturum tragœdiam, & joco hoc velut exordium facit, quomodo Ennius in tranſlatione Euripidis Medeæ. Vid. hic Cicer. lib. de Fato 15. Auct. ad Herenn. II. 22. Donat. ad Phormionem I. 3. 5.

PELII NEMORIS] Silvæ, quæ erat in Pelione monte Theſſaliæ incumbente in ſinum Pelaſgicum.

7. PINUS] Quæ in Pelione reperitur frequens. Eſt nomen arboris; ſed per Synecd. eſt hic ſingularis pro plurali.

8. PROFESSÆ] Certæ, indubitatæ. Horatius Od. 3.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

9. FABRICASSET] C. Germanicus Cæſar de aureo ſæculo,

Neque per dubios avidiſſima ventos
Spes procul amotas fabricata nave petebat.

ARGUS] Navis illius artifex, qua vectus eſt Jaſon in Colchidem, ad vellus aureum reportandum.

OPERE PALLADIO] Palladis conſilio & arte, vel etiam opera. Fingitur enim ipſa dejeciſſe arbores ad eam neceſſarias.

10. INHOSPITALIS] Proprie. Nam olim *Axenus* appellabatur. Ovidius de eo in Triſtibus:

Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Deinde *Euxinus* eſt dictus, ominis boni cauſa, id eſt, hoſpitalis. Vide porro de ponti etymo Minervam Sanctii, & ibi doctiſſimas notas Jac. Perizonii p. 629.

11. BARBARUM] Barbarorum, qui in Colchide habitabant.

12. SUPERBI] Magni, potentis. Sumitur enim hic in bonam partem.

LUGET] Propter hanc expeditionem. Æetas enim amiſerat aureum vellus, filiam Medeam, & filium Abſyrtum.

ÆETÆ] Patris Medeæ.

13. PELIÆ] Quia Pelias a Medea occiſus, de quo vid. Ovid. Metam. l. 7.

JACENT] Everſa ſc. nam multa mala in domum patriam intulit Medea, cum relicta patria Jaſonem ſequeretur; de quo videndi poëtæ.

14. INVOLVENS] Occulens, tegens.

15. FRATRIS] Abſyrti. Vid. Ovid. Triſt. l. 3. El. 9.

EXPLICUIT] Reſpectu ad oppoſitum *involvens*. Cum enim Medea fugeret, inſequebatur eam cum Jaſone pater Æetas. Imminenti ergo & jam capturo, membra diſſecti fratris objecit per partes, ut dum ſingula colligit, ipſa interea tempus haberet elabendi. Atque hoc eſt, *explicare fugam per artus fratris*.

16. INFE-

Hic cæde patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? Hoc quoque inſulſum eſt, ais,
Falſoque dictum; longe quia vetuſtior
Ægea Minos claſſe perdomuit freta,
Juſtoque vindicavit exemplo impetum.
Quid ergo poſſum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?
Noli moleſtus eſſe omnino literis,
Majorem exhibeant ne tibi moleſtiam.
Hoc illis dictum eſt, ſi qui ſtulti nauſeant,
Et, ut putentur ſapere, cœlum vituperant.

FAB.

16. INFECIT] Dum perſuadet ipſis, redditurus ita eum juvenem. Vid. Ovid. Metam. Ordo eſt: *Infecit manus Peliadum cæde patris.*

17. HOC QUOQUE] Reſpicit eos, qui Euripidem, ejuſque imitatorem Ennium, ob exordium tragœdiæ, quæ Medea dicitur, carpebant.

18. LONGE QUIA VETUSTIOR] Lemniorum in Thraciam expeditionem deſcribit Valer. Flaccus l. 2. verſ. 108. Vid. Plin. l. 7. c. 56. Stat. Theb. l. 5. Voſſium ad Catullum p. 162.

19. ÆGEA] Mare Ægeum.

MINOS] Ante illa tempora Minos Rex Cretæ claſſe tranſiit mare Ægeum.

20. VINDICAVIT] Facto recti exempli vindicavit vim & injuriam ſibi factam in Androgeo filio.

EXEMPLO] Supplicio, pœna. Terentius Eun. 5. 5. 4.

Quæ futura exempla dicunt in eum indigna!

IMPETUM] Incurſum piratarum. Alii accipiunt de injuria, per cædem Androgei filii Minoi ab Athenienſibus illata. Vid. interpretes, & in iis Heinſium in diverſa abeuntem.

21. CATO] Proverbialiter de eo, qui moroſitate ingenii omnia carpit, quaſi diceret, ô lector, Catoni ſimilis!

22. FABELLÆ] Nec minora ſcripta, qualia fabulæ Æſopiæ, nec majora, qualia Tragœdiæ, ſeu Tragica argumenta, quorum ſpecimen nunc propoſui.

23. NOLI MOLESTUS ESSE] Minatur adverſariis, ſi ſibi ſcribenti moleſti ſint, more poëtarum.

25. HOC ILLIS DICTUM EST] Sic lib. 1. fab. 7. lib. 1. fab. 22. 10.

Hoc in ſe dictum debent illi agnoſcere.

Lib. 4. f. 22.

Hoc ſcriptum eſt tibi.

Lib. 5. f. 22. eodem ſenſu,

Illi adſignari debet hæc narratio.

Lib. 3. f. 12.

Hoc illis narro.

Lib. 4. 19. 18.

Tibi dico avare.

Lib. 5. 9. 5.

Qui doctiorem emendat, ſibi dici putet.

SI QUI STULTI NAUSEANT] Si qui ſint, quos hæc non juvant.

26. COELUM VITUPERANT] Deo ipſi faciunt convicium, & imprudentiæ ipſum accuſant. Proverbialis figura de iis, qui præ nimia ſapientia, vel ſtultitia potius, pulcerrima etiam & abſolutiſſima taxare inſtituunt. Græcis uſitatam fuiſſe patet ex Suida & Zenodoto.

FAB. VII.

VIPERA ET LIMA.

MORDACIOREM qui improbo dente adpetit,
Hoc argumento ſe deſcribi ſentiat.
¶ In officinam Fabri venit vipera.
Hæc quum tentaret, ſi qua res eſſet cibi,
Limam momordit: illa contra contumax,
Quid me, inquit, ſtulta, dente captas lædere,
Omne adſuevi ferrum quæ corrodere?

FAB.

AD FAB. VII.

1. IMPROBO] Sævo, violento, audaci, temerario, plus conanti quam decet.

2. HOC ARGUMENTO] Hac narratione, hac fabula. Cicero de invent. Rhetor. l. 19. *Argumentum eſt ficta res, quæ tamen fieri potuit.* Vid. Græv. in Cic. Orat. T. 1. part. 2. p. 276.

3. TENTARET] Quæreret, circumſpiceret.

SI QUA RES ESSET CIBI] Si quid eſſet, quod in cibum poſſet utile eſſe: ſi cibus quis eſſet. Sic *res voluptatum* pro voluptatibus dixit Plaut. Amphitr. Græca locutio eſt, ut jam ſupra oſtendimus. Vid. Lib. 1. fab. 1. & fab. 8. & 13. & exemplis illic allatis, ſi lubet, adde hæc. Virgil. l. 8 Æn. *Caci mens effera* dixit pro *Caco effero.* Idem Ecl. 4. *decus ævi* pro *ævo decoro.* Alibi & *ferri rigor* pro *ferro: robur aratri* pro *aratro.* Lucretius quoque *robur ſaxi* pro *ſaxo: rigor auri* pro *auro.* Statius etiam l. 10. *gloria Niſi* pro *Niſo glorioſo.* His adde Oppiani ἔργον ἔρωτος pro ἔρως, & ἔργα ὀνίσκων, pro ὀνίσκοι.

5. CONTUMAX] Non cedens, non admittens morſum. Dicitur & de eo, qui mandatis inobediens eſt.

6. STULTA] Vocativus eſt, & ad viperam refertur: ut ſup. l. 2. *Stulte, inquit, erras.* Et lib. 1. *At ille ſtultus.*

DENTE] Dentibus tuis. Synecd. Speciei.

CAPTAS] Tentas, quæris, conaris.

7. ADSUEVI] Quadriſyllabum: ut jam pluries vidimus. Non multum abludit reſponſum Rubi ad Vulpem apud Æſopum.



AD

FAB. VIII.

VULPIS ET HIRCUS.

HOMO in periclum ſimul ac venit, callidus
Reperire effugium alterius quærit malo.
¶ Quum decidiſſet Vulpis in puteum inſcia,
Et altiore clauderetur margine,
Devenit Hircus ſitiens in eundem locum:
Simul rogavit, eſſet an dulcis liquor,
Et copioſus? Illa fraudem moliens:
Deſcende, amice, tanta bonitas eſt aquæ,
Voluptas ut ſatiari non poſſit mea.
Immiſit ſe barbatus; tum Vulpecula
Evaſit puteo, nixa celſis cornibus:
Hircumque clauſo liquit hærentem vado.

FAB.

AD FAB. VIII.

2. ALTERIUS] Periculo alterius quærit opem, nec curat, licet ferentem eam opem ſibi videat in malum incidere.

3. QUUM DECIDISSET] Paulo aliter Camerarius, quem vide fab. 4.

4. CLAUDERETUR] Cohiberetur propter altitudinem, quo minus poſſet egredi.

MARGINE] Quod *ripa* in flumine, id *margo* in puteo.

5. SITIENS] *Siti compulſus.* Sic enim l. 1. f. 1.

6. LIQUOR] Aqua puteo contenta. Sic. l. 1. f. 1.

A te decurrit ad meos hauſtus liquor.

7. MOLIENS] Intenta in fraudem, quærens fallere.

8. DESCENDE] Subintellige, *inquit.*

AMICE] Sic l. 3. fab. 7. Lupus ad canem, *Unde hoc, amice?*

10. BARBATUS] Eleganter animalibus ab ea parte corporis, qua maxime cognoſcuntur, nomen imponitur; quod Phædro familiare. Sic *auritulus* pro aſino, *bidens* pro ove, *laniger* pro agno. Vid. Gudius, & Buchnerus de commutata ratione dicendi p. 77. & quæ annotavimus l. 1. fab. 1.

11. NIXA] Nixa hirci cornibus. *Nixa* eſt pro innixa.

12. CLAUSO] Propter clauſum vadum egredi non valentem.

VADO] Fundo putei. Alioqui hæc vox dicitur de omni illa aqua, quæ poteſt vadari. Unde proverbium, *Res eſt in vado*, id eſt, ſalva. Terent. Andr. 5. 2. 4.

AD

FAB. IX.

DE VITIIS HOMINUM.

PERAS impoſuit Jupiter nobis duas;
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit,
Alienis ante pectus ſuſpendit gravem.
¶ Hac re videre noſtra mala non poſſumus:
Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

AD FAB. IX.

1. PERAS] *Pera* eſt ſacculus ex aluta e collo ad lumbos pendens.
3. GRAVEM] *Gravatam*, vel, ut ante, repletam.
4. HAC RE] *Hac ex re*, ſicut dicimus *quare*, pro qua ex re.
NOSTRA MALA] *Propria vitia*, ut ante.
5. SIMUL] Simulac alii peccant.
CENSORES] Vitiorum reprehenſores.

FAB. X.

FURAM ARAM COMITANS.

LUCERNAM fur accendit ex ara Jovis,
Ipſumque compilavit ad lumen ſuum;
Onuſtus qui ſacrilegio quum diſcederet,
Repente vocem ſancta miſit religio:
Malorum

AD FAB. X.

1. FUR] Fur quidam, uti ſolet de ignotis.
ARA] In ara perpetuus ignis. Sic lib. 1. fab. 28.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem.
2. IPSUMQUE] Jovem, pro ipſius fano.
COMPILAVIT] Exſpoliavit. Apulej. Apol. dixit, *compilare domum alicujus.*
SUUM] Proprium ipſius Jovis, quod ab eo fur acceperat.
3. SACRILEGIO] Sacrilegium eſt ſacrarum rerum ablatio.
4. RELIGIO] Deus. Sic fere Virg. lib. 3 Æneid.
Namque omnem curſum mihi proſpera dixit Religio.
Supra lib. 1. fab. 27.
Pœnas ut ſanctæ religioni penderet.
Vocem mittere pro loqui eſt etiam apud Ciceronem.
5. ISTA]













J. Schauen. del. f.

Malorum quamvis iſta fuerint munera,
Mihique inviſa, ut non offendar ſubripi,
Tamen, ſceleſte, ſpiritu culpam lues,
Olim quum adſcriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noſter facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas deos,
Veto eſſe tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas eſt accendi ſacrum.
¶ Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius, quam qui repperit.
Significat primo, ſæpe, quos ipſe alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios.

Secun-

5. ISTA] Quæ tu abſtuliſti nunc furto.

MUNERA] Donaria, quæ vulgo dari diis, & in templis eorum ſuſpendi ſolebant.

6. MIHIQUE INVISA] Et adeo mihi inviſa & ingrata, ut nihil me moveat illa a te ſubripi.

7. SPIRITU] Sic *luere capite*, Curt. *Luere ſanguine*, Vell. *luere morte*, Cicero.

LUES] Peribis, ſeu morte lues.

8. OLIM] Hæc vocula de tempore præterito & futuro dicitur.

ADSCRIPTUS] Scriptus a fatis, definitus.

9. PRÆLUCEAT] Tibi male agenti præluceat.

11. COMMERCIUM] Uſum. Vult, vetuiſſe Deum, accendi in poſterum lumen de igni ſacro, ſicut fur fecerat, & contra, de lumine ignem ſacrum.

12. ITA HODIE] Patet hinc antiquitus morem fuiſſe, ut ignis ad ſacra non accenderetur ex igne profano: ſic ut nec contra ignis profanus ex ſacro. Sumit quippe Phædrus *lucernam* pro vulgari igne & non ſacro.

FLAMMA] Igne altaris.

13. SACRUM] Sacrificium, victimam. Scilicet non ex culina, ſed cœlo petebant ignem, quo in hoc negotio utebantur.

14. ARGUMENTUM] Fabula. Sic ſupr. fab. 7.

15. NON EXPLICABIT] Non neceſſe erit ut explicet alius, quia ipſe, qui excogitavi, nunc facturus ſum.

QUI REPPERIT] Se ipſum intelligit. Unde diſcimus primum fabulæ hujus auctorem eſſe Phædrum.

16. SIGNIFICAT] Nempe hoc argumentum.

QUOS IPSE] Illos nempe, quos alueris.

ALUERIS] Foveris, ad honores promoveris.

17. INVENIRI] Eleganter dicitur in reſpectu ad inopinatum eventum. Quomodo Belgæ: *Ik bevinde dit anders*. Sic Ter. Eun. 5. 9.

Scis Pamphilam meam inventam civem?

CONTRARIOS] Adverſarios, hoſtes.

Secundo oſtendit, ſcelera non ira Deûm,
Fatorum dicto ſed puniri tempore.
Noviſſime interdicit, ne cum malefico
Uſum bonus conſociet ullius rei.

19. DICTO] Conſtituto. Sic infra: *Rediit hora dicta.* Terent. And. *Hic nuptiis dictus eſt dies.*

20. NOVISSIME] Poſtremo, reſpicit enim *primo* & *ſecundo*, quod præceſſit.

INTERDICIT] Nobis, vel *bono*: ſequitur enim mox *bonus*. Abſolute ſic uſurpatur. Ter. Hec. 4. 1. 48.

Interdico, ne extuliſſe extra ædes puerum uſquam velis.

21. CONSOCIET] Commercium habeat cum malefico.

FAB. XI.

MALAS ESSE DIVITIAS.

OPES inviſæ merito ſunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.
Cœlo receptus propter virtutem Hercules,
Quum gratulantes perſalutaſſet Deos,
Venien-

AD FAB. XI.

MALAS ESSE DIVITIAS] Vid. ad hoc lemma Praſchium.

1. OPES INVISÆ] Vide Meurſium, Freinſhemium, Schefferum, Praſchium, Gudium.

2. DIVES ARCA] Summæ opes.

3. COELO RECEPTUS] *In cœlum*, figurata locutio. Sic. Virg.

It clamor cœlo

pro ad cœlum. Extat hæc fabula etiam apud Æſopum, fab. 194.

PROPTER VIRTUTEM] Bella & labores in iis exantlati viam ad cœlum adſtruunt. Gloria enim laboris eſt filia. Seneca in Furente,

Non eſt ad aſtra mollis e terris via.

Lib. 4. Anthol. c. 8. Epigr. 5.

Δέρκεο μυελόμοχθε τεὸς Ἡράκλες ἀγῶνας,
Οὓς τλὰς, ἀθανάτων οἶκον Ὄλυμπον ἔβης.

Ipſe Hercules quoque de ſe Epigr. 7. poſt enumeratos ſuos labores,

Αὐτὸς ὄλυμπον ἔχω.

Apollo apud Virgil. Æn. IX ad Aſcanium:

Macte nova virtute puer, ſic itur ad aſtra.

HERCULES] Jovis & Alcmenæ filius, qui ob virtutem & gloriam geſtorum creditur annumeratus eſſe diis.

4. GRATULANTES] Gratulantes ipſi novos iſtos honores. Sed advertendum hic eſt, cum quis *gratulari* amico dicitur de re, quæ ei proſpere evenerit, non aliam eſſe ejus locutionis & ſyntaxeos rationem ac ſignificationem, quam, pro amico & propter amicum gratias agere diis. Quo ſpectare poteſt & Terentianum iſtud Heaut. 5. 1. 6.

Ohe, jam deſine Deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam eſſe inventam gnatam.

Ubi

Veniente Pluto, qui fortunæ eſt filius,
Avertit oculos. Cauſam quæſivit Pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus eſt,
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

Ubi idem videtur eſſe *gratulari*, quod gratias agere. Quod ſi ita ſit, non tam attendit Phædrus rationi quam uſui, qui ipſos Deos gratulantes induxit. Vid. Jac. Perizonium ad Sanctii Minervam pag. 5.

PERSALUTASSET] Ordine omnes ſalutaſſet.

5. PLUTO] Deo divitiarum, filio fortunæ. Dicitur, *Plutus*, *Pluti*, & *Pluto*, *Plutonis*.

6. AVERTIT OCULOS] Scilicet a *Pluto*.

CAUSAM QUÆSIVIT] Rogavit eum, cur oculos averteret.

PATER] Jupiter, qui pater deorum dicitur: aut ſolo reſpectu ad Herculem, cujus pater erat, ut ſupra diximus.

7. AMICUS EST] Active, amans malos, eoſque favore proſequens.

8. OBJECTO] Velut eſca volucribus objicitur, qua capiantur.

CORRUMPIT] Corrumpit omnia, dum pecunias & lucrum monſtrat.

FAB. XII.

LEO REGNANS.

UTILIUS homini nihil eſt, quam recte loqui;
Probanda cunctis eſt quidem ſententia,
Sed ad perniciem ſolet agi ſinceritas.
Quum ſe ferarum regem feciſſet Leo,
Et

AD FAB. XII.

1. RECTE] Aperte, ſincère, directe, ſine ambagibus; ideo enim ſequitur de *ſinceritate*. Oppoſitum hujus eſt *oblique loqui*, quod paſſim in uſu eſt. *Recte* ſic uſurpavit Plaut. Amph. III. *Recte loquere*, & alibi.

2. QUIDEM] Particula hæc vim habet adſeverationis majoris.

SENTENTIA] Hæc ſententia, *Nihil eſſe homini utilius quam recte loqui*.

3. AGI] Adduci, trahi. Solet in exitium præcipitari: *ad perniciem devocari*, ut loquitur lib. I. fab. 20.

SINCERITAS] Simplicitas & aperta veritas.

4. QUUM SE] Ex hac fabula argumentum ſibi petit Illuſtriſſimus Gudius, quo probet lib. I. fab. 5. legendum eſſe,

Ego primam tollo, nominor quia Rex Leo.

vel, quod veroſimilius judicat, invitis etiam membranis,

Nominor quia Creon.

FERARUM REGEM] De majeſtate hujus animalis non inconvenienter huic loco audi ſic canentem Sannazarium in divino opere de partu Virginis lib. I. verſ. 419.

It juxta nemorum terror, rexque ipſe ferarum
Magnanimus nitet ore Leo: quem fuſa per armos
Conveſtit juba: pectoribus generoſa ſuperbit
Majeſtas, non jam ut cædeis, aut prælia ſævus
Adpetat.

Et æquitatis vellet famam conſequi,
A priſtina deflexit conſuetudine,
Atque inter illas tenui contentus cibo,
Sancta incorrupta jura reddebat fide:

* * * * * * * * *

5. FAMAM CONSEQUI] Vellet juſti nomen ubique conſequi.

6. DEFLEXIT] Mutavit antiquum feritatis morem, & vivendi rationem.

7. INTER ILLAS] Feras nempe, quarum Rex erat.

8. INCORRUPTA] Dabat leges fide ſincera, nec patente munerum illecebris.

FAB. XIII.

* * * * * * * * *

POSTQUAM lavare cœpit pœnitentia
Affrictione veretri linguam mulieris,
Adfinitatem traxit inde obſcœnitas.

AD FAB. XIII.

1. LAVARE] Al *labare*, & pro *pœnitentia*, *penis tentio*. Mutila hic omnia & lacera. Sed parva eſt jactura. Petrus Scriverius in Animadverſionibus in Pervig. Ven. ſub finem, *Examina*, inquit, POENITENTIAM *Phædri fabulatoris*, *num quid elegantibus illis fabulis ſcelere alicujus impoſtoris acceſſerit mangonii*. Expendant eruditi.

FAB. XIV.

PROMETHEUS.

ROGAVIT alter, tribadas & molles mares
Quæ ratio procreaſſet: expoſuit Senex:

Idem.

AD FAB. XIV.

1. ALTER] Quiſpiam, neſcio quis.

TRIBADAS] Vide Voſſii obſervationes ad Catullum p. 286.

2. SENEX] Æſopus Ita ſup. l. 3. fab. 3. *Naris emunctæ ſenex* & alibi.

3. IDEM]

Idem Prometheus auctor vulgi fictilis;
Qui simul offendit ad fortunam, frangitur;
Naturæ partes, veste quas celat pudor,
Quum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis,
Ad cœnam est invitatus subito à Libero;
Ubi inrigatus multo venas nectare,
Sero domum est reversus titubanti pede;
Tum semisomno corde, & errore ebrio,
Adplicuit virginale generi masculo,
Et masculina membra adplicuit fœminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

FAB.

3. IDEM] Idem ille Prometheus, de quo in præcedenti fab. etiam videtur actum fuisse.

AUCTOR] Hominum formator.

VULGI] Turbæ hominum.

FICTILIS] Ex terra, luto ficti. Hoc enim verbo sic utebantur. Apul. Apolog. *Etenim quod luto fictum, vel ære incisum* &c. Cicero Pisoniana, *Homullus ex argilla & luto fictus.* Martial. 10. 39.

Ficta Prometheo diceris esse luto.

Hyginus Fab. CXLII. *Prometheus Iapeti filius, primus homines ex luto finxit.* Ubi Jac. Gronovius emendat *primos homines.* Fulgent. IX. *Prometheum ajunt hominem ex luto finxisse.* Juvenal. sat. XIV.

Forsitan hæc spernant Juvenes, quibus arte benigna
E meliore luto finxit præcordia Titan.

ubi vetus Scholiastes: *Prometheus filius Iapeti, qui fuit unus e Titanibus.* Consule etiam Cl. Perizonium ad Sanctii Minervam p. 18.

4. SIMUL] Simulac offendit.

FORTUNAM] Fortuna hic velut res dura fingitur, ad quam vulgus (nam illud *qui*, quod ante *simul* est, ad *vulgi*, non ad *Prometheus* est referendum) formatus ex luto, sicut testa frangitur.

5. NATURÆ PARTES] Membra, quibus sexus distinguitur. *Naturalia* apud Justinum.

7. CORPORIBUS SUIS] A se fictis.

8. LIBERO] Baccho, Deo vini.

9. INRIGATUS MULTO VENAS NECTARE] Constructio est Græca. Intelligitur præpositio κατά. Ad quem modum fere Virgil. Ecl. 6.

Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.

NECTARE] *Nectar* est potus deorum, ut cibus ambrosia. Hic ponitur pro vino, quod *Bacchæum nectar* in Silvis vocat Statius.

10. TITUBANTI PEDE] Titubantibus pedibus ex ebrietate.

11. CORDE] Unde alias intellectus & consilium.

EBRIO] Errore ebrietatis.

12. VIRGINALE] Sc. membrum, quod huc ex sequentibus trahendum. Licet quoque ita simpliciter usurpetur.

13. FOEMINIS] Generi fœmineo, ut ante, *generi masculo.*

14. ITA NUNC] Inde factum est, ut nunc &c.

FAB. XV.

CAPELLÆ ET HIRCI.

BARBAM Capellæ quum impetrassent ab Jove,
Hirci mœrentes indignari cœperant,
Quod dignitatem fœminæ æquassent suam;
Sinite, inquit, illas gloria vana frui:
Et usurpare vestri ornatum muneris,
Pares dum non sint vestræ fortitudinis.
¶ Hoc argumentum monet, ut sustineas tibi
Habitu esse similes, qui sunt virtute impares.

FAB.

AD FAB. XV.

1. IMPETRASSENT] Summis precibus obtinuissent.

2. INDIGNARI] Ægre istud & graviter ferre.

COEPERANT] Præferunt Heinsius & Gudius MS. codicis lectionem, *cœperunt:* pari modo ac fab. 19. est in ultimo versus pede, *abierunt*, penultima brevi. Consule ad eum locum Tan. Fabrum. Sed non video, cur displiceat τὸ *cœperant.*

3. DIGNITATEM] Auctoritatem, quam præ ipsis antea habebant ex barba.

ÆQUASSENT] Æqualem haberent. Sic Virg. 6 Æneid.

Æquatque Sichæus amorem.

5. USURPARE] Vid. de significatione hujus vocis Sanctium in Minerva, & doctissimum ejus Interpretem Jac. Perizonium p. 639.

ORNATUM] Quem putatis illas gerere non debere.

MUNERIS] Quod est, gravem esse; quò barba pertinet.

6. PARES DUM NON SINT] Dum non æquent fortitudinem vestram. Nam ita, paulo ante.

7. ARGUMENTUM] Fabula, ut supra plus semel.

SUSTINEAS] Patiaris, perferas æquo animo.

8. IMPARES] Te minores.



AD













Jo. Bruyer fecit et del.

FAB. XVI.

GUBERNATOR ET NAUTÆ.

QUUM de fortunis quidam quereretur ſuis,
Æſopus finxit conſolandi gratia.
¶ Vexata ſævis navis tempeſtatibus,
Inter vectorum lacrymas & mortis metum,
Ferri ſecundis tuta cœpit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate extollere,
Faciem ad ſerenam ſubito ut mutatur dies.
Factus periclo tum gubernator ſophus;
Parce gaudere oportet, & ſenſim queri:
Totam quia vitam miſcet dolor & gaudium.

FAB.

AD FAB. XVI.

1. DE FORTUNIS] De improſpero ſucceſſu rerum ſuarum. *Fortunæ* igitur hic in plur. pro *fortuna*. Sic Ter. And. 1. 1. *Laudare fortunas meas.*

2. FINXIT] Abſolute, pro *finxit hoc*, vel *hanc fabulam.*

CONSOLANDI] Illum: ut illum conſolaretur.

3. VEXATA] Sic apud Virg. eſt *vexata ratis*, id eſt, raptata, huc atque illuc diſtracta.

4. VECTORUM] Eorum, qui navi vehebantur.

5. FLATIBUS] Provehi ventis ſecundis.

6. EXTOLLERE] Elatos quaſi & ſuperbos reddere, tanquam nihil mali amplius poſſet accidere.

7. FACIEM] Speciem, habitum.

UT MUTATUR DIES] Poſtquam ſedata tempeſtate ſerenitas rediit.

8. PERICLO] In quo fuerat.

GUBERNATOR] Nauta. *Dominus navis* apud Nepotem: *Auriga* apud Ovidium.

SOPHUS] Sapiens, prudens. Græce, σοφός.

9. PARCE GAUDERE] Subintellige, *inquit.*

SENSIM] Parce, moderate.

10. TOTAM QUIA VITAM] Quia tota vita eſt permixta dolore & gaudio.

FAB. XVII.

CANUM LEGATI AD JOVEM.

CANES legatos olim miſere ad Jovem,
Melioris vitæ tempus oratum ſuæ,
Ut ſeſe eriperet hominum contumeliis,
Furfuribus ſibi conſperſum quod panem darent,
Fimoque turpi maximam explerent famem.
Profecti ſunt legati non celeri pede,
Dum naribus ſcrutantur eſcam in ſtercore.
Citati non reſpondent: vix tandem invenit
Eos Mercurius & turbatos adtrahit.
Tum vero vultum magni ut viderunt Jovis,
Totam timentes concacarunt regiam.

Pro-

AD FAB. XVII.

1. CANES] Non diſſimilem huic refert fabulam de aſinis Camerarius. Vid. eum fab. III. & Faërn. pag. 101.

2. MELIORIS VITÆ TEMPUS] Tempus, quo meliorem vitam poſſent vivere, quam ea eſſet, quam hactenus vixerant.

ORATUM] Proprie. Nam & legati vocantur Oratores. Virg. 7. Æneid.

Centum Oratores auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet.

Eodem modo Camerarius dicta fabula: *Aſini ad Jovem legatos quodam tempore miſere oratum ut ille ſibi ſuccurreret.*

3. SESE] *Seſe* ſæpe eſt apud Phædrum lib. 2. fab. 5.

Doloſa tuto condidit ſeſe cavo;

& ſic alibi.

ERIPERET HOMINUM CONTUMELIIS] *Eripere contumeliis* eſt rapere e contumeliis. Sic lib. 1. fab. 28.

Aquila ut periclo mortis eriperet ſuos.

4. CONSPERSUM] Commixtum. Vid. de hoc pane Pignorium de ſervis pag. 525.

5. MAXIMAM] Apud Plautum eſt, *multo maximam & graviſſimam.*

EXPLERENT] Explere cogerentur.

6. NON CELERI] Tardo gradu.

7. SCRUTANTUR] Olfaciunt ſtercus, ſi lateat ibi eſca.

8. CITATI] Vocati ſolenni voce Mercurii. Vox eſt a judiciis petita. Vid. Aſconius in l. 1. Accuſat. in Verrem cap. 1.

9. TURBATOS] Quod tam negligentes fuiſſent officii, nec exſpectaſſent, aut attendiſſent tempus idoneum, ſed requiri debuiſſent a Mercurio.

10. MAGNI] Proprium Jovis cognomentum. Sic & Juno dicitur magna. Quin alii etiam

Propulſi vero fuſtibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Jupiter.
Mirati, ſibi legatos non revertier,
Turpe æſtimantes aliquid commiſſum a ſuis,
Poſt aliquod tempus alios adſcribi jubent.
Rumor legatos ſuperiores prodidit:
Timentes rurſus aliquid ne ſimile accidat,
Odore canibus anum, ſed multo replent.
Abeunt. Rogantes aditum, continuo impetrant.
Conſedit genitor tum Deorum maximus,
Quaſſatque fulmen: tremere cœpere omnia.
Canes confuſi, ſubito quod fuerat fragor,
Repente odorem mixtum cum merdis cacant.

etiam dii. Quod non neceſſe habuit tanto molimine nos docere ferox ille Juvenis, qui & ipſe ingentibus auſis nomen magni meruit. Sic enim de eo Poëta non ignobilis,

Gerardus ille magnus Haverkampius.

12. VADUNT FORAS] Sic & Martial.

Uxor vade foras.

13. VETAT DIMITTI] Vetat eos dimitti, & jubet in cuſtodia teneri.

14. REVERTIER] Reverti per Paragogen.

15. ÆSTIMANTES] Exiſtimantes. Sic ſup. l. 3. fab. 4.

Ridicule magis hoc dictum quam vere æſtimo.

ALIQUID] Aliquid turpis flagitii.

16. POST ALIQUOD TEMPUS] Euangeliſta Matthæus cap. XXI. 36. Πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους. Curtius: *Altera legatione an mitigari poſſit experiamur.*

ADSCRIBI] Superioribus illis, antea a ſe miſſis, ad Jovem, pro *adſociari*, *adjungi*.

17. SUPERIORES] Priores illos, fuſtibus exceptos.

PRODIDIT] Aperuit, notumque fecit, quam turpiter ſe in Jovis regia geſſiſſent.

18. TIMENTES] Quapropter timentes ne eandem fortunam experiantur novi legati.

19. ODORE] Aromatibus odoratis. Sic mox infra. Uſitatius tamen *odores*. Lampridius Heliogab. *Odores Indicos jubebat incendi.*

SED MULTO] Eleganter pro, *& eo quidem multo.*

20. ABEUNT] Ad Jovem, iter eo ſuſcipiunt.

21. CONSEDIT] Tanquam Rex & Judex. Sic Ovid. l. 13. Met. 1.

Conſedere Duces.

22. FULMEN] Quod Jovi pro ſceptro eſt.

TREMERE COEPERE] Imitatur Virg. 3 Æn.

Tremere omnia viſa repente.

23. CONFUSI] *Turbati*, ut verſ. 9.

24. ODOREM] Quo repleti fuerant.

Recla-

Reclamant omnes vindicandam injuriam.
Sic eſt locutus ante pœnam Jupiter:
Legatos non eſt Regis non dimittere,
Nec eſt difficile, pœnas culpæ imponere:
Stet hoc (feretis pro juſtitia præmium)
Non cito dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non poſſint ſuum:
Illi autem, qui miſerunt hos tam futiles,
Numquam carebunt hominis contumelia.
Mandantur antro, non dimittuntur ſtatim.
Ita nunc legatos expectans & poſteros,
Novum venire cum videt, culum olfacit.

FAB.

25. RECLAMANT] Iterum clamant omnes dii, ut nuper fecerant, cum priores legati ſic ſe geſſiſſent.

VINDICANDAM] Animadvertendum in illos legatos.

26. ANTE POENAM] Ante quam præciperet, quam pœnam iis vellet infligi.

27. LEGATOS] Hæc ſequentia, antea confuſa, ſic conſtituimus & expedivimus ex Gudio: quem vide.

NON EST REGIS] Non dimittere legatos non eſt Regis, id eſt, non decet Regem non dimittere legatos: ne jus gentium ipſis detentis violetur.

29. STET HOC] Sc. decretum. Cic. lib. 9. Ep. 2. *Modo ſtet nobis illud, una vivere in ſtudiis noſtris.* Jupiter apud Statium lib. XI Theb.

Stat parcere mundo.

PRO JUSTITIA] Secundum juſtitiam.

PRÆMIUM] Sermo eſt Jovis ad Deos, qui reclamaverant vindicandam hanc injuriam. Dii enim ferunt præmia bonis bona, malis mala & exitialia. Ita Virgilius, quem imitatus eſt Phædrus, I Æn.

Di tibi, ſi qua pios reſpectant Numina, ſi quid
Uſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti,
Præmia digna ferant.

30. NON CITO DIMITTI] Sic mox, *non dimittuntur ſtatim.*

31. NE VENTREM CONTINERE NON POSSINT] Repetita negatio affirmat, ut ſit, Ut poſſint continere ventrem vel alvum. Oppoſitum eſt ſuperiori *cacare.*

32. FUTILES] Proprie dictum, tanquam qui nil poſſent continere, ſed commiſſum odorem ſtatim effunderent. Sic homines, qui commiſſa non retinent, *futiles* dicuntur.

33. NUMQUAM CAREBUNT] Omni tempore contumelia afficientur.

34. ANTRO] Vinculis. Sic Virg. uſus eſt hac voce in carceris ſignificatione, I Æn. 52.

Hic vaſto Rex Æolus antro
Luctantes ventos tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.

35. EXSPECTANS] Sc. *canis.*

36. NOVUM] Novum legatum. Senſus eſt: Canis noſtri temporis, legatos, non tantum priores illos, ſed & poſteros exſpectans, quorum culus repletus erat odore; quoties novum & incognitum venire videt, culum ejus olfacit, an ille adveniens ſit ex odoriferis illis.

A D

FAB. XVIII.

HOMO ET COLUBRA.

QUI fert malis auxilium, poſt tempus dolet.
Gelu rigentem quidam Colubram ſuſtulit,
Sinuque fovit contra ſe ipſe miſericors.
Namque ut refecta eſt, necuit hominem protinus.
Hanc alia quum rogaret cauſam facinoris,
Reſpondit: Ne quis diſcat prodeſſe improbis.

AD FAB. XVIII.

1. QUI FERT] Qui malis fert opem, potius damnum & interitum ſentit, quam gratias. Vid. aliquid cum hac fabula conveniens in Camer. fab. 238.

POST TEMPUS] Sic fab. ſuperiori,

Poſt aliquod tempus alios adſcribi jubent.

2. RIGENTEM] Frigeſcentem. Juſtinus lib. 2. cap. 1. de Scythia ait, *eam perpetuis frigoribus rigere.*

3. FOVIT] Calefecit. Hinc *focus.*

CONTRA SE] In perniciem ſuam. Non abſimili modo Ovidius Amor. 3. 8.

Contra te ſolers hominum natura fuiſti.

4. REFECTA] Recreata, cum paulo ante pœne mortua eſſet.

5. ALIA] Alia colubra.

6. NE QUIS DISCAT] Imo vero, ut quis diſcat non prodeſſe improbis; ſed ſubintelligendum: Ne quis ab exemplo hominis, qui colubram ſinu fovit, diſcat prodeſſe improbis. Vide hic Gudium adferentem Jambos ex Andrea Chiocco, quibus hæc eadem fabula eſt expreſſa.

FAB. XIX.

VULPIS ET DRACO.

VULPIS cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altius cuniculos,
Pervenit

AD FAB. XIX.

2. CUNICULOS] *Cuniculi* ſunt foſſæ ſubterraneæ. Hinc *cuniculis oppugnare*, pro, latenti fraude oppugnare.

3. DRA-

Pervenit ad Draconis ſpeluncam ultimum,
Cuſtodiebat qui theſauros abditos.
Hunc ſimul aſpexit; Oro ut imprudentiæ
Des primum veniam: deinde, ſi pulcre vides,
Quam non conveniens aurum ſit vitæ meæ,
Reſpondeas clementer. Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum eſt præmium,
Ut careas ſomno & ævum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille; verum hoc a ſummo mihi
Jove adtributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,

Nec

3. DRACONIS] Dracones olim habiti cuſtodes defoſſarum aut reconditarum opum. Sic de vellere aureo, ſic de pomis aureis Atlantis traditum.

ULTIMUM] Ultimo, tandem. Al. *ultimam*, pro ultima ſpeluncæ parte. Quale quid in Ter. Phormione, 1. 4. 38.

Sed quis hic eſt ſenex, quem video in ultima platea?

Idem Heautont. 5. 1. 29.

Eſt mihi ultimis conclave in ædibus quoddam retro.

4. ABDITOS] Defoſſos, reconditos.

5. HUNC] Id eſt, draconem.

ORO] Simul adſpexit, inquit, *Oro ut des primum* &c. Loquitur ſic, veluti timens. Terent. Heaut. 4. 1. 10.

Primum te hoc oro, ne quid credas me advorſum edictum tuum
Facere auſam.

IMPRUDENTIÆ] Mihi, ſi forte nimis ſim imprudens.

6. DES VENIAM] Ignoſcas, non ægre feras.

SI] *Si* confirmantis eſt, ut Ter. Andr. 1. 5. 38.

Si te in germani fratris dilexi loco.

Virgil. Æn. 4. 317.

Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum.

Ovidius l. 7. Metam. 852.

Per noſtri fœdera lecti,
Perque Deos ſupplex oro, ſuperoſque, meoſque;
Per ſi quid merui de te bene.

PULCRE] Recte aſſequeris, recte intelligis. Sic fab. 20. *pulcre intelligo.* & alibi.

7. QUAM NON CONVENIENS] Quam inconveniens, quam parum conveniens.

VITÆ] Id eſt, mihi. Nam de ſe vulpis loquitur, & hæc veluti amoliendæ ſuſpicionis gratia, & benevolentiæ captandæ præmittit. Noſti, inquit, ſatis, non eſſe hoc meum inſtitutum, ut cumulem mihi opes, quæ rapto vivo, & carne animantium veſcor. Itaque quod quæſitura ſum, non ideo facio, tanquam tibi invideam hoc aurum, ipſaque velim habere. Dic tamen, ſi placeat, quare hoc facias, & opibus ſic incumbas.

10. ÆVUM IN TENEBRIS EXIGAS] Ætatem aut vitam tuam in ſpeluncis exigas.

11. NULLUM] Nullum eſt præmium, nullum inde fructum capio.

SUMMO] *Magno*, *maximo*, ut fab. 17. Jupiter eſt deorum ſummus.

12. ATTRIBUTUM] Injunctum, inpoſitum eſt, velut munus peculiare.

ERGO] Verba ſunt Vulpis, quibus Draco reſpondet, *Sic fatis placet.*

SUMIS

Nec ulli donas quicquam? Sic fatis placet.
Nolo iraſcaris, libere ſi dixero:
Diis eſt iratis natus, qui eſt ſimilis tibi.
A Biturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente cœca miſerum torques ſpiritum?
Tibi dico, avare, gaudium hæredis tui,
Qui thure ſuperos, ipſe te fraudas cibo?

Qui

SUMIS TIBI] Nec ſumis tibi quicquam, hoc eſt, capis in tuos uſus, impendis.

13. SIC FATIS PLACET] Diis ſic viſum eſt, qui mihi hoc attribuerunt. Quaſi diceret, ut fab. XVIII.

Fatorum arbitrio hæ partes ſunt mihi datæ.

14. NOLO IRASCARIS] Vulpis verba. Formula eſt excuſantis libertatem. Tiber. ap. Sueton. *Ignoſcas, rogo, ſi quid adverſus te liberius, ſicut ſenator dixero.*

15. DIIS EST IRATIS NATUS] Inimicis, adverſantibus diis. Sic dicebant veteres, gnari nimirum Deum illis, quos punire vult, ſanam mentem & conſilium eripere. Nam ſi dii hominibus opes dant, nihil inde fructus percipitur, niſi & dent mentem & artem illis fruendi. Hoc enim donum deorum putabant. Quem in ſenſum Horatius,

Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.

Tales formulæ ſunt & apud Terentium. Phorm. 4. 3.

Satin' illi dii ſunt propitii?

Et Andr. 4. 1. 40.

Neſcio, niſi mihi deos ſatis
Scio fuiſſe iratos, qui auſcultaverim.

Juvenal. Sat. 1.

Fruitur dis
Iratis.

& Sat. 9.

Dis ille adverſis genitus.

Et ſic alii paſſim. Quin & noſter ſupra lib. 2. f. 9.

Siniſtra quos in lucem natura extulit.

QUI EST SIMILIS TIBI] Qui ſic ſine ullo uſu bona multa poſſidet.

16. ABITURUS ILLUC] Phædrus hic facit idem, quod ſolebant veteres in conviviis, ubi hortaturi, ut fruerentur rebus lætis, convivas admonebant brevitatis vitæ & impendentis mortis. *Abire* hic eſt pro mori. Sic enim ſimpliciter loquebantur veteres ad vitandam inauſpicatam mortis vocem. Plaut. dixit prol. Caſin. 19. *Abire in communem locum.* Idem alibi, *Ad plures ſe penetrare.* Catullus, *ire*

Illuc, unde negant redire quenquam.

PRIORES] Qui fuerunt ante te, & excedere tamen vita coacti ſunt.

17. MENTE COECA] Mente occœcata aut obnubilata ab avaritia.

TORQUES] Crucias, vexas.

18. TIBI DICO] Formula indignationis. Sic Terentius Andr. 4 5. 23.

Tibi ego dico, an non?

Idem Adelph. 1. 2. 16.

hæc cum illi Micio
Dico, tibi dico.

Simile quid vid. infra lib. 5. fab. 9.

GAUDIUM HÆREDIS TUI] Quo mortuo gaudebunt tui hæredes, quod ſibi tot bona reliqueris.

19. QUI THURE SUPEROS] Qui fraudas Deos thure, quod ſcilicet pecunia eſſet emendum.

IPSE TE] Ita legimus. Venuſtius enim ſic conſtituitur verſus, & oratio. *Ipſe te fraudas cibo* certe Tullianæ eſt elegantiæ, non *ipſum te.* Omnes tamen codices, *ipſum te.*

TE FRAUDAS CIBO] Ipſe defraudas genium tuum. Sic enim Terent. Phormione, 1. 1. 9.

Quod ille unciatim vix demenſo de ſuo,
Suum defraudans genium, comperſit miſer.

Sic eſt *fraudare natos lacte* ſup. l. 3. fab. 15.

Qui triſtis audis muſicum citharæ ſonum,
Quem tibiarum macerat jocunditas,
Opſoniorum pretia cui gemitum exprimunt;
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas ſordido perjurio,
Qui circumcidis omnem impenſam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

FAB.

20. QUI TRISTIS AUDIS] Qui doles citharæ ſonis aliquid impendi.

21. MACERAT] Macilentum facit jucunditas illa, quæ in cantu tibiarum eſt, quia illis aliquid impendi debebat. Nam in funere veteres tibiis utebantur. Ovid. Triſtib.

Tibia funeribus convenit iſta meis.

22. OPSONIORUM] *Opſonia* proprie ſunt, quæ ad panem veſcenda dantur.

PRETIA] Illis impendenda. Nimia eorum caritas tibi gemitum exprimit.

GEMITUM EXPRIMUNT] Phraſis Lucretiana, 3. 494.

Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore
Adficiuntur, & omnino quod ſemina vocis
Ejiciuntur, & ore foras glomerata feruntur.

23. QUADRANTES] Nummos minimos, ut ſit ſenſus, talem vel oboli gratia perjurium committere.

AGGERAS] Accumulas, adjungis. Sic Belgice dicimus, *by duitjes opleggen.* Supra Prol. l. 3.

Qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigilia.

Terentius, ut modo vidimus, dixit, *Unciatim comparcere.*

PATRIMONIO] Proprie illa bona, quæ a parentibus hæreditate ad nos redierunt, patrimonium dici merentur, ſed & quodcunque ex quæſtu & opere noſtro vel aliunde obvenit, eo nomine denotatur.

24. COELUM] Deos. Diis ipſis te inviſum facis.

FATIGAS] Senſus eſt, talem non curare, licet Deos ipſos ita ſibi faciat iratos.

SORDIDO] Ob rem levem, vilem, & ſordidam, id eſt, avaritiam. Solent nempe avari etiam minimæ pecuniolæ cauſa pejerare.

25. CIRCUMCIDIS] Removes, nullam impenſam facis.

26. LIBITINA] Seu ii, qui in templo ejus (eſt enim Dea funerum) quæ ad funus eſſent neceſſaria, vendebant.

DE TUO] Ex re tua, bonis tuis, impenſis. Sic Ter. Adelph. 1. 2. 37.

Opſonat? potat? olet unguenta? de meo.

Plaut. Bacch. 1. 1.

Facere ſumtum de tuo.



AD


ÆSOPUS
FAB. XX.


DEMONICUS
FAB. XXI.


SPARTURINUS
FAB. XXII.


CALLIMACHUS
FAB. XXIII.


SIMONIDES A DIIS SERVATUS.
FAB. XXIV.


POETA.
FAB. XXV.

FAB. XX.

PHÆDRUS.

QUID judicare cogitet livor, modo
Licet diſſimulet, pulcre tamen intelligo.
Quicquid putabit eſſe dignum memoriæ,
Æſopi dicet: ſi quid minus adriſerit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli jam nunc reſponſo meo:
Sive hoc ineptum, ſive laudandum eſt opus;
Invenit ille, noſtra perfecit manus.
Sed exequamur cœptum propoſiti ordinem.

FAB.

AD FAB. XX.

1. COGITET] Velit, conſtituat.

LIVOR] Homines lividi & maligni.

MODO] Licet modo, ſive nunc diſſimulet, etiamſi non ſtatim indicet; dum vivo & ſcribo, faciet olim.

3 MEMORIÆ] Sic plures veterum locuti ſunt. Infra tamen prol. l. 5. *Dignum longa memoria.*

4. ÆSOPI DICET] Dicet eſſe Æſopi.

ADRISERIT] Minus placuerit, minus dignum memoria viſum fuerit.

5. CONTENDET] Conſtanter dicet. Studium ſummum perſuadendi notat hæc vox.

QUOVIS PIGNORE] Quovis pignore poſito.

6. JAM NUNC] Statim. *Jam nunc* elegans eſt particula, pro quo barbari dicunt, *ex nunc.* Cic. 1 Verr. *Quæ cum cogito, jam nunc timeo.* Vid. Turſell. de partic. cap. 69.

7. OPUS] Opus fabularum, quod ſcribo.

8. INVENIT ILLE] Æſopus. Idem dicit prol. libri 1.

Æſopus auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi verſibus ſenariis.

NOSTRA] Mea. Synecdoche generis.

PERFECIT] Conſummavit, abſolvit.

9. SED EXEQUAMUR] Sed pergamus in propoſito noſtro, & ad exemplum talis fabulæ feramur.



A D

FAB. XXI.

NAUFRAGIUM SIMONIDIS.

HOMO doctus in se semper divitias habet.
¶ Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circumire cœpit urbes Asiæ nobiles,
Mercede pacta laudem victorum canens.
Hoc genere quæstus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu pelagio;
(Erat autem natus, ut ajunt, in Ceo insula)
Ascen-

AD FAB. XXI.

1. HOMO DOCTUS] Vid. non dissimilia huic Fabulæ de Aristippo Philosopho, in Erasmi Apophtegm. lib. 3.

2. SIMONIDES] Poëta fuit Lyricus, qui quæstui poësin habuit, & hac arte vitam sustentavit.

MELOS] Carmen, versus lyricos. *Pegaseium melos* apud Persium in prologo.

3. QUO PAUPERTATEM SUSTINERET] Quo facilius victum quæreret.

4. CIRCUMIRE COEPIT] Circumiit. Sic solet Phædrus loqui, ut non uno loco jam vidimus. *Circumire* dicitur proprie de iis, qui incerto & instabili vivendi genere utuntur, ut fere mendici.

5. MERCEDE PACTA] Sic optime Heinsius, quem vide. pro quo vulgo *accepta*. Idem est *præmium pactum* l. 1. 8.

LAUDEM] Vel simpliciter, *victores canens*. Sic enim simpliciter *canere* in usu est apud poëtas. Hor. Epod. Od. 9.

Galli canentes Cæsarem.

Et in odarum libris,

Dum meam canto Lalagen.

Virg. Ecl. 6 3.

Cum canerem reges & prælia.

& initio Æneidos,

Arma virumque cano.

VICTORUM] In ludis olympiis Græcorum. C. Nepos, Præfat. *Magnis in laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari.*

6. POSTQUAM LOCUPLES FACTUS EST] Horatius de eo,

Paupertas impulit audax
Simonidem ut versus faceret.

Quod ei melius cessit, quam videbatur patri Nasonis, filium ab hac arte deterrenti his verbis,

Studium quid inutile tentas?
Mœonides nullas ipse reliquit opes.

7. VENIRE] Redire voluit in patriam.

CURSU] *Cursus* hic dicitur de navigatione in mari: licet quoque de vehiculo dicatur. quomodo Virgil. 3 Æneid.

Namque omnem cursum mihi prospera dixit Religio.

PELAGIO] Pelagi, æquoreo. Valerius Flaccus 1 Argonaut.

Et dedit æquoreos cœlo duce tendere cursus.

Pub. Syrus apud Petronium,

Matrona ornata phaleris pelagiis.

8. CEO] Insula maris Ægei. Ovid.

Cingitur Ægeo nomine Cea mari.

Unde illud est Horatii:

Ceæ retractes munera neniæ,

id est, Simonideæ.

10. DIS-

Aſcendit navem, quam tempeſtas horrida,
Simul & vetuſtas medio diſſolvit mari.
Hi zonas, illi res pretioſas colligunt,
Subſidium vitæ. Quidam curioſior,
Simonide, tu ex opibus nil ſumis tuis?
Mecum, inquit, mea ſunt cuncta. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierunt.
Prædones adſunt, rapiunt quod quiſque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomene prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic literarum quidam ſtudio deditus,
Simonidis qui ſæpe verſus legerat,
Eratque abſentis admirator maximus,
Sermone ab ipſo cognitum, cupidiſſime

Ad

10. DISSOLVIT] Fregit. Ovid. Triſt.

Ne temere in mediis diſſoluantur aquis.

Diſſolvere proprie dicitur de navibus, quia & contexi dicuntur, cujus hoc eſt oppoſitum.

11. ZONAS] In quibus repoſitam habebant olim pecuniam.

12. SUBSIDIUM VITÆ] In ſubſidium vitæ, ut ſubſidium aliquod haberent.

QUIDAM] Ita lib. 3.

Quidam e turba garrulus.

CURIOSIOR] Supple, converſus ad Simonidem ait. *Curioſi* vocantur, qui ſolliciti ſunt de aliis.

14. MECUM] Apud me. Similis eſt hiſtoria Biantis, quæ omnibus nota eſt.

ENATANT] Natando ſibi conſulunt. Virg. de naufragio Æneæ, divini operis lib. 1.

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

15. PERIERUNT] Sic recte Heinſius & alii viri docti, penultima correpta.

16. EXTULIT] E mari ſcilicet & naufragio.

17. CLAZOMENE] Urbs Ioniæ maritima.

18. ANTIQUA FUIT URBS] Verba ſunt Virgilii 1 Æneid.

Urbs antiqua fuit.

QUAM PETIERUNT] Quo ſe contulerunt.

19. HIC LITERARUM QUIDAM] Sic fere lib. 5. fab. 1.

In quis Menander, nobilis comœdiis,
Quas, ipſum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri.

21. ERATQUE] Et admiratus fuerat ingenium hominis, quem numquam viderat.

22. SERMONE AB IPSO] Vulgo *ex ſermone*. Sed & ſic Virg. lib. 2 Æneid.

Crimine ab uno
Diſce omnes.

Ad ſe recepit; veſte, nummis, familia
Hominem exornavit: cæteri tabulam ſuam
Portant, rogantes victum; quos caſu obvius
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum eſſe cuncta; vos quod rapuiſtis, perIt.

23. FAMILIA] Servis. Ita ſupra l. 3. f. 19.
Æſopus domino ſolus cum eſſet familia.

24. HOMINEM] Significat hæc vox, quaſi commiſerationem infortunii, ut ſup. l. 2. fab. 2.
Capillos homini legere cœpere invicem.

TABULAM SUAM] Naufragii. Naufragi enim ſtipem oſtiatim corrogare ſolebant, in tabula quadam depictum habentes naufragii ſui caſum ad commiſerationem commovendam. Vid. Horat. 1. od. 5. & ibi interpretes.

25. QUOS CASU OBVIUS] Quibus obviam factus Simonides.

26. UT VIDIT] Poſtquam vidit.

DIXI] Idem eſt, quod Belgice ſolet dici, *Ik zeide het u wel, dat ik al myn goed by my had.* Alii interrogative volunt exprimi, ut ſit, *nonne dixi? Zeide ik het u niet wel?* Sed eodem recidit.

27. RAPUISTIS] Cum tanta feſtinatione collegiſtis.

PERIT] Pro *periit*, metri cauſa. Quod rapuiſtis periit vobis, perdidiſtis quod extuleratis.

FAB. XXII.

MONS PARTURIENS.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima exſpectatio.
At ille murem peperit. ¶ Hoc ſcriptum eſt tibi,
Qui, magna quum minaris, extricas nihil.

FAB.

AD FAB. XXII.

1. MONS] Camerarius fab. 205.

PARTURIBAT] E dolore partus laborabat.

CIENS] Edens. Virg. Georg. 3.
Extremoſque ciet gemitus.

2. IN TERRIS] Inter homines.

MAXIMA EXSPECTATIO] Exſpectabatur aliquid grande & magni eventus.

3. MUREM] Horat. de Arte poëtica,
Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

MINARIS] Promittis. Catachreſis. Horatius:
Atqui vultus erat multa & præclara minantis.

EXTRICAS NIHIL] Abſolvis, perficis, expedis. Notat hoc verbum producendi moleſtias, velut e vinculis. Ideoque Metaphorica hic eſt locutio.

AD

FAB. XXIII.

FORMICA ET MUSCA.

FORMICA & Muſca contendebant acriter,
Quæ pluris eſſet. Muſca ſic cœpit prior:
Conferre noſtris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, exta prægusto Deûm.
Moror inter aras, templa, perluſtro omnia;
In capite regis ſedeo, quum viſum eſt mihi,
Et matronarum caſta delibo oſcula;
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum ſimile tibi contingit, ruſtica?
Eſt glorioſus ſane convictus Deûm,

Sed

AD FAB. XXIII.

1. FORMICA] Vid. Camerar. fab. 211.
CONTENDEBANT] Certabant inter ſe.
2. PLURIS] Quæ pluris eſſet pretii.
COEPIT] Incepit prior loqui.
4. IMMOLATUR] Ubi victima molâ ſalſâ conſpergitur. Hoc enim eſt, *immolare*.
DEUM] Diis dicata.
5. MOROR] Commoror, habito, vivo.
INTER ARAS] In aris. Sic Plaut. Aulul. 2. 5. *Inter vias*, id eſt, in via.
7. MATRONARUM CASTA OSCULA] Hypallage, pro, *matronarum caſtarum oſcula*.
OSCULA] Parva ora. Ovid. Metam. l. 1. de Daphne,

Videt igne micantes
Sideribus ſimiles oculos. videt oſcula; quæ non
Eſt videſſe ſatis.

Et propius Virg. 1 Æneid.

Oſcula libavit natæ.

8. LABORO NIHIL] Nullam rem laboro, ab omni labore ſum libera. Malim cum Heinſio, *Nihil laboro*; quod reddit verſum ornatiorem. Præterea ſequitur ſtatim, *Nihil laboras*.
OPTIMIS REBUS] Delicatiſſimis, lautiſſimis. Bonæ res ſunt, quæ faciunt ad bene & laute vivendum. C. Nepos Ageſilao, cap. ultim. *Quo facto, eum Barbari magis etiam contemſerunt, quod eum ignorantiâ bonarum rerum illa potiſſimum ſumſiſſe arbitrabantur*.
9. RUSTICA] Quæ ruri agis, dum ego verſor in oppidis & templis.
10. EST GLORIOSUS] Reſpondet Formica.
CONVICTUS DEUM] *Convictus* uſurpatur de iis, qui eadem menſa nobiſcum edunt. Cum ergo aræ dicantur menſæ deorum, poſſunt illi, qui ex illis veſcuntur, dici eſſe convictores deorum.

Sed illi, qui invitatur, non qui inviſus eſt.
Reges commemoras & matronarum oſcula;
Ego granum in hiemem quum ſtudioſe congero,
Te circa murum video paſci ſtercore.
Aras frequentas; nempe abigeris, quo venis:
Nihil laboras, ideo quum opus eſt, nil habes:
Superba jactas, tegere quod debet pudor;
Æſtate me laceſſis; quum bruma eſt, ſiles.
Mori contractam quum te cogunt frigora,
Me copioſa recipit incolumem domus.
Satis profecto retudi ſuperbiam.
¶ Fabella talis hominum diſcernit notas
Eorum, qui ſe falſis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet ſolidum decus.

FAB.

11. QUI INVITATUR] Ἀντανάκλασις hic eſt venuſta in *invitatur*, *inviſus*.

13. IN HIEMEM] Hiemis cauſa. Ea ſignificatio hujus particulæ eſt apud Terent. Andr. 2. 2. *Piſciculos minutos ferre in cœnam.*

14. MURUM] Domum in plateis.

15. ARAS FREQUENTAS] *Morari inter aras*, ut ſupra.

QUO VENIS] Quoquo, quocunque, in quemcunque locum venis.

17. SUPERBA JACTAS] Sc. quod ſedeas in capite Regis, & delibes matronarum oſcula.

18. QUUM BRUMA EST] Cum hiems advenit. *Bruma* dicitur dies ſolſtitii hiemalis, quod accidit die 20 aut 21 Decembris.

19. CONTRACTAM] Inertem, & inhabilem ad volandum a frigore; complicatam, convolutam.

20. COPIOSA] Omni rerum copia inſtructa.

21. RETUDI] Refutavi. MS. Gudii habet *Profector & tudi*, quod recte diſpoſitis literis eſt, *profecto rettudi*, ut prima ſyllaba producatur.

22. FABELLA TALIS] Hæc nimirum.

NOTAS] Signa, indicia, characteres.

24. SOLIDUM DECUS] Decus ſincerum, firmum, infucatum. Opponitur falſis laudibus.

A D

FAB. XXIV.

SIMONIDES A DIIS SERVATUS.

QUANTUM valerent inter homines literæ,
Dixi ſuperius: quantus nunc illis honos
A ſuperis ſit tributus, tradam memoriæ.
¶ Simonides idem ille, de quo rettuli,
Victoris laudem cuidam pyctæ ut ſcriberet,
Certo condixit pretio: ſecretum petIt.
Exigua quum frenaret materia impetum,
Uſus poëtæ, ut moris eſt, licentia,
Atque interpoſuit gemina Ledæ ſidera,

Aucto-

AD FAB. XXIV.

1. QUANTUM VALERENT] Quantas divitias ſcilicet homo doctus in ſe ſemper haberet, ut dixit ſuperius.

2. SUPERIUS] Fabula 21. in qua retulit Simonidem naufragum inveniſſe Clazomenæ virum, qui hunc exceperit, ornaveritque rebus omnibus, ob illius peritiam, ſingularemque eruditionem.

NUNC] *Nunc* conjungendum cum *tradam*.

3. TRIBUTUS] Sic *tribuere honorem* lib. 1. f. 7. Quem locum adi.

TRADAM MEMORIÆ] Prodam, poſteritati relinquam.

5. LAUDEM] Talem, qualis victoribus tribui ſolebat, qui vixiſſent in ſpectaculo ſolenni.

PYCTÆ] Pugili victori, coronato. Vox eſt Græca πύκτης.

6. CONDIXIT] Promiſit petenti.

PRETIO] Nam, ut vidimus, quæſtui artem ſuam habuit,

Mercede pacta laudem victorum canens.

SECRETUM] Locum ſolitarium, meditationi & verſibus faciendis aptum. Ovidius Triſt. lib. 1.

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

PETIT] *PetIt* pro *petiit*, ut in priore fabula de Simonide *perIt*.

7. FRENARET] Metaphora. cohiberet propter ſuam exiguitatem, ut libero impetu non poſſet evagari.

8. LICENTIA] Poëtica libertate uſus eſt, quam *veniam* dixit Horatius in libro de Arte poëtica.

Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.
Scimus, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim.

9. INTERPOSUIT] Inter ea, quæ proprie argumentum poſtulabat.

SIDERA] Pertinet ad *gemina*. Non enim erant Ledæ ſidera, ſed filii, qui ſimul fuerunt ſidera, Gemini, itemque Caſtor & Pollux vocata. De his Horatius Odarum lib. 1.

Sic fratres Helenæ lucida ſidera,
Ventorumque regat Pater.

Auctoritatem ſimilis referens gloriæ.
Opus adprobavit: ſed mercedis tertiam
Accepit partem. Quum reliquum poſceret:
Illi, inquit, reddent, quorum ſunt laudis duæ.
Verum ne irate dimiſſum te ſentiam,
Ad cœnam mihi promitte, cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis, & dolens injuria,
Ne male dimiſſam gratiam corrumperet,
Promiſit. rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium.
Magno apparatu læta reſonabat domus:

Repente

10. AUCTORITATEM] Significat retuliſſe Simonidem, quæ de ſimili Caſtoris & Pollucis victoria memorantur, ac per comparationem iſtam cum hac victoria, auctoritatem fuiſſe majorem illi.

REFERENS] Commemorans. Sup. lib. 1. fab. 2.

Æſopus talem tum fabellam rettulit.

& in fabulæ hujus initio,

Simonides idem ille, de quo rettuli.

11. APPROBAVIT] Simonides illi, qui ſub certa mercede id ab eo exegerat.

12. RELIQUUM] Vox quadriſyllaba per diæreſin ob verſum.

13. REDDENT] Remittit Simonidem ad eos, velut debitores ad ſolvendum paratos.

DUÆ] Sc. *Partes.* ut ſenſus ſit: Illi, quorum ſunt duæ reliquæ partes laudationis, reddant tibi, quod poſtulas, ego enim quod pactus ſum pro mea parte, ſolvi. Faber legit non ita male,

Illi, inquit, reddent, quorum ſunt laudes, duo.

14. NE IRATE] Ut ſciam, ut certus ſim te non irate dimiſſum. Nam ſi non promitteret, iratum inde colligeret Simonidem. Heinſius,

Verum ne ingrate te dimiſſum ſentias.

15. PROMITTE] Formula eſt invitantium Plinius Epiſt. 15. lib. 1. *Heus tu promittis ad cœnam nec venis.*

16. QUORUM ES IN NUMERO] Ego te pro tali habeo, ego te inter cognatos meos numero: adeo non debes de ira quadam mea in te ſuſpicari. Olim cum alicui adblandiebantur, eum patrem, fratrem &c. vocabant. Inde ille adoleſcens apud Terentium Phormione 3. 2. 11.

Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus.

Nec multum abit a more noſtratium.

17. FRAUDATUS QUAMVIS] Quamvis juſta mercede deſtitutus.

18. MALE] Refertur ad *corrumperet. Male corrumpere* eſt imprudenter & cum ſuo detrimento corrumpere, vel perdere. Senſus eſt, ne male corrumperet gratiam, ſi eam dimitteret, ac recuſaret oblatam.

19. REDIIT] Acceſſit, venit denuo.

DICTA] Conſtituta. Sic ſupra.

RECUBUIT. Accubuit. Horat. 1 Epiſtol. 1.

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.

21. RESONABAT] Virg. Æneide,

Reſonant late clangoribus ædes.

Iterum:

Fit

Repente duo quum juvenes ſparſi pulvere,
Sudore multo diffluentes corpora,
Humanam ſupra formam, cuidam ſervulo
Mandant, ut ad ſe provocet Simonidem,
Illius intereſſe ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promôrat vix pedem triclinio,
Ruina camaræ ſubito oppreſſit cæteros;
Nec ulli juvenes ſunt reperti ad januam.
Ut eſt vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes ſcierunt, numinum præſentiam
Vati dediſſe vitam mercedis loco.

FAB.

Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant Atria.

22. REPENTE DUO QUUM] Sic legendum cum Gudio, vel cum eodem,

Repente quum juvenes duo ſparſi pulvere;

vel ut nos olim conjiciebamus,

Quum duo repente Juvenes ſparſi pulvere.

In vulgatis eſt,

Repente quum duo juvenes ſparſi pulvere.

quem quidem verſum ego nullo modo dimetiri poſſum, niſi *duo* vox ſit monoſyllaba; quo nihil durius.

DUO JUVENES] Juſtinus lib. 20. 3. *Pugnantibus Locris, aquila ab acie numquam receſſit, eoſque tamdiu circumvolavit quoad vincerent. In cornibus quoque duo Juvenes diverſo a ceteris armorum habitu, eximia magnitudine & albis equis & coccineis paludamentis, pugnare viſi ſunt, nec ultra apparuerunt, quam pugnatum eſt.*

SPARSI] *Decoro pulvere ſordidi*, ut phraſi Horatiana utamur.

HUMANAM SUPRA FORMAM] *Eximia magnitudine*, ut modo in Juſtino. Sic fere de diis loquuntur, ubi ſe conſpiciendos præbent hominibus.

25. PROVOCET] Vocet e convivio.

26. FACIAT MORAM] Moretur, ceſſet.

27. EXCITAT SIMONIDEM] Extra eum vocat. Nam *citare* eſt vocare.

28. PROMÔRAT] Promoverat, vix poſuerat pedem e triclinio.

TRICLINIO] *Triclinium* hic ſumitur pro conclavi & cœnatione ipſa.

29. CAMARÆ] *Camara* fornix eſt, ſive tectum fornicatum, Belg. *Gewelf*, a Græco Καμάρα.

SUBITO] Vir clariſſimus Petrus Francius, grande eloquentiæ decus, malebat *ſubita*.

30. AD JANUAM] *Ad* loci deſignat propinquitatem. Vid. l. 1. fab. 13.

31. VULGATUS] Rumore cognitus.

ORDO NARRATÆ REI] Series rei. Notat maxima minimaque diſtincte expoſita. Ter. Adelph. 3. 4. 1.

Omnem rem modo ſeni,
Quo pacto haberet, enarramus ordine.

32. NUMINUM] Deorum, Caſtoris & Pollucis.

33. VATI] Simonidæ poëtæ.

DEDISSE VITAM] Incolumem eum ſervaſſe, cum reliqui perirent.

MERCEDIS] Quam convivator noluerat ſolvere, ſed dixerat reddituros, quorum laudes in carmine celebraverat Simonides.

A D

FAB. XXV.

POETA.

SUPERSUNT mihi quæ ſcribam, ſed parco ſciens;
Primum tibi eſſe ne videar moleſtior,
Diſtringit quem multarum rerum varietas:
Dein ſi quis eadem forte conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui:
Quamvis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.
Brevitati noſtræ præmium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus. Exhibe vocis fidem:
Nam vita morti propior eſt quotidie:
Et hoc minus uſu veniet ad me muneris,

Quo

AD FAB. XXV.

1. QUÆ SCRIBAM] Quæ poſſim ſcribere.

3. DISTRINGIT QUEM] Quem occupatum habent multa diverſi generis negotia.

5. RESIDUI] A me relicti.

7. LABORI FABER UT DESIT] Ut potius artifex opus, quam opus artificem deficiat.

9. QUOD ES POLLICITUS] Nullam video rationem cur Rittershuſius hic metri cauſa velit ſubſtitui *policitus*.

EXHIBE VOCIS FIDEM] Præſta ipſo opere, quod voce ac ſermone promiſiſti.

11. ET HOC MINUS] Ita reſtitutus hic verſus ex emendatione Gudii, cum antea legeretur,

Et hoc minus veniet ad me muneris,

reclamante metri ratione. Danetus cenſet poſſe legi,

Et hoc minus & minus veniet ad me muneris.

Nimirum ut altius vulnus verſui infligatur. At ille peſſime exſcripſit Fabrum ſic emendantem,

Et hoc minus & minus ad me veniet muneris.

Quod patet ex altera emendatione, quam ex eodem adjecit,

Et hoc minus tui ad me veniet muneris.

Conſulat lector ipſum Fabrum.

USU] De uſu muneris loquitur, & ob brevitatem vitæ cito expediendum eſſe promiſſum beneficium monet, ut eo uti poſſit longius.

12. QUO

Quo plus conſumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, uſus fiet longior:
Fruar diutius, ſi celerius cœpero.
Languentis ævi dum ſunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus eſt: olim ſenio debilem
Fruſtra adjuvare bonitas nitetur tua,
Quum jam deſierit eſſe beneficio utilis,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces ſexcenties,
Proclivis ultro quum ſit miſericordia.
Sæpe impetravit veniam confeſſus reus,
Quanto innocenti juſtius debet dari?
Tuæ ſunt partes, fuerunt aliorum prius,
Dein ſimili gyro venient aliorum vices.

Decerne

12. QUO PLUS] Quo diutius hæc differes.

TEMPORIS] Reſpicit *plus*, quod præcedit.

15. ÆVI DUM SINT] Valer. Maxim. lib. 6. cap. 2. *Robuſtas ſenectutis reliquias.*

18. BENEFICIO UTILIS] Sic Martial. *Nec inutilis annis.* Cicero, *Et ſuis & publicis rationibus utilis.*

19. FLAGITABIT DEBITUM] Expoſcet vitam, quam illi omnes debemus. Scilicet

Debemus morti nos noſtraque.

20. SEXCENTIES] Jam ſemel atque iterum opem tuam imploravi. Quid ſtultius certe eſt quam ſexcenties id te rogare? *Sexcenties* pro *pluries* paſſim invenitur apud auctores. Plaut. Menechm. 5. 4.

Quin ſuſpirabo plus ſexcenties in die.

21. PROCLIVIS ULTRO] Schefferus ſuſpicatur ſcripſiſſe Phædrum,

Proclivis ultro quum ſis miſericordiæ,

ſenſu, ſi ita liceat, plano.

22. CONFESSUS REUS] Delictum ſuum confeſſus. Cicero pro Ligario, c. 1. *Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum, confitentem reum.*

23. QUANTO INNOCENTI] Quanto majori jure venia debet dari innocenti?

24. TUÆ SUNT PARTES] Locutio petita a ſcenicis, quorum cuique ſuæ ſunt partes datæ. Terentius prologo Phormion.

Primas partes qui aget, is erit Phormio Paraſitus.

Hoc vult: Te decet exemplum dare aliis bene de opere meo judicandi.

25. SIMILI GYRO] Inde ſequentur alii ſuo loco & tempore & ordine.

Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac judicio tuo.
Excedit animus, quem propoſuit terminum,
Sed difficulter continetur ſpiritus,
Integritatis qui ſinceræ conſcius,
A noxiorum premitur inſolentiis.
Qui ſint requires; apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer ſententiam:
Palam mutire plebeio periculum eſt,
Dum ſanitas conſtabit, pulcre meminero.

EXPLICIT LIB. IV.

26. DECERNE] Fer eam ſententiam, quam ſalva fide boni judicis ferre potes.

27. FAC] Fac me gaudere, & mihi ipſi gratulari ob tam faventem tuam in cauſa mea ſententiam.

JUDICIO TUO] Poteſt etiam eſſe dativus, ut ſenſus ſit: Fac me gratulari, id eſt, gratias agere judicio tuo. Nam ſic τὸ *gratulari* uſurpari monuimus jam hujus libri fab. 11.

28. QUEM PROPOSUIT] Quem ſibi propoſuit animus meus.

29. DIFFICULTER CONTINETUR] Ægre a querelis ſibi temperat innocens afflictus. Recte Apulej. in Apologia: *Quippe natura vox innocentiæ, ſilentium maleficio diſtributa.* Plaut. Amph.

Quæ non deliquit, decet
Audacem eſſe, confidenter pro ſe, & proterve loqui.

Cæcilius Statius, *Innocentia eloquentia eſt.*

30. INTEGRITATIS] Apud Horatium in odis,

Integer vitæ ſceleriſque purus.

31. NOXIORUM] Eorum, qui nocere poſſunt. Sic ſupra *innoxius.* Reſpicit forte Sejanum, quem ſibi accuſatorem, teſtem ac judicem ſimul fuiſſe, conqueſtus eſt & ſupra Prol. l. 3.

INSOLENTIIS] Plurali numero eſt uſus, ut augeat mali magnitudinem, & ſic miſerationem facilius inveniat.

32. QUI SINT REQUIRES] Rogabis forte, qui ſint, qui mihi tam male velint: ſed ſcies id ſuo tempore, cum ipſi ſe prodent.

33. SENTENTIAM] Juvenal. VIII. 125.

Quod modo propoſui, non eſt ſententia: verum
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

34. MUTIRE] Feſtus: MUTIRE, *loqui.* quem vide.

35. DUM SANITAS CONSTABIT] Dum ſanitas conſtabit mihi, dum ero ſana mente præditus, caute ac prudenter revocabo in memoriam, hanc ſententiam.

MEMINERO] Ita legendum. Futurum eſt Indicativi. Cicero Accuſ. 3. in Verrem. c. 70. *Sed ego habebo rationem auctoritatis meæ: meminero, quo animo, quo conſilio ad cauſam publicam acceſſerim: non agam tecum accuſatorie: nihil fingam.*

PHÆ-




POETA.
LIB. V.
DEMPOETA.
METRIUS ET MENANDER.
FAB. I
VIATORES ET LATRO.
FAB. II.
CALVUS ET MUSCA.
FAB. III.
HOMO ET ASINUS.
FAB. IV.

PHÆDRI FABULARUM LIBER QUINTUS.

PROOEMIUM.



QUUM destinassem operis habere terminum,
In hoc, ut aliis esset materiæ satis,
Consilium tacito corde damnavi meum.
Nam si quis talis etiam est tituli *artifex*,
Quo pacto divinabit quidnam omiserim,
Ut illud ipsum cupiam famæ tradere;

Sua

AD LIBR. V.

PROLOG.

1. QUUM DESTINASSEM] Citat Gudius hunc versum inter eos, in quibus *m* non eliditur. Nimirum ita dimensus est, opinor, ut tertia sede sit tribrachys, quarta anapæstus. Sed fallitur. M hic commode absorbetur cum præcedente vocali. Tota res patet, si tribrachys sit tertio loco, quarto vero Jambus. Adeoque accenseri debet hic versus iis, in quibus leges carminis Jambici accuratius, quam in his libellis solet fieri, sunt servatæ. Margini codicis mei a manu viri docti adscriptum est, sive sit conjectura, sive emendatio alibi reperta,

Quum destinassem operis facere terminum.

quod admitti potest, si τὸ *m*, ut nonnunquam fit, sustineat syllabam. Quomodo hos priores versus constituat Barthius, vide in ejus Adversar. l. 30. c. 22.

2. IN HOC] Ad hoc, hoc fine.

3. CONSILIUM] *Repudiavi consilium, quod primum intenderam*; ut cum Terentio loquamur.

4. TALIS ETIAM] Titulum intelligit poëtæ, qui fabulas scribit, quasi diceret: Nam etiamsi est poëta quispiam, qui & ipse scribere fabellas volet, quomodo divinare poterit eas, quas ego omisi, ut non alias scribat potius, quas ipse fingat, diversas longe ab his, quas omitto. Sed de loco tam mendoso & mutilo videantur interpretes.

6. UT ILLUD IPSUM] Ita Faber. Scheferus:

Sua cuique quum ſit animi cogitatio,
Colorque proprius? ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio cauſam ſcribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
Quas Æſopeas, non Æſopi nomino,
Paucas oſtendit ille, ego plures diſſeram,
Uſus vetuſto genere, ſed rebus novis.
Quarum libellum dum tu varie perleges,
Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet.

Mihi

ferus:

Ut illum ipſum cupiam famæ tradere.

8. COLORQUE PROPRIUS] Senſus eſt: Habet quiſque ſuam indolem, ſuum ingenium, ſuam ſcribendi rationem, nec bene ſupplet quæ alii omiſerunt.

LEVITAS] Reſiliendo a propoſito & mutando conſilium. *Levitas* eſt, cum repentino impetu & ſine ratione certa, veluti vento, rapitur animus atque impellitur in aliquid.

CERTA RATIO] Eadem ſignificatione fere Ovidius in Faſtis l. 3. verſ 621.

At tu, ſeu ratio te noſtris appulit oris,
Sive Deus.

Certa ratio Belgice valet, *Goed overleg.*

10. PARTICULO] Nonius: PARTICULONES *dicti ſunt cohæredes, quod partes patrimonii ſumant.* id quod firmat auctoritate Pomponii.

11. ÆSOPEAS] Sic potius legimus cum Gudio, quam *Æſopias*. Nam licet & hoc queat defendi, venuſtior tamen fit verſus.

12. PAUCAS OSTENDIT ILLE] Sic de eadem re ſupra lib. 4. fab. 20.

Invenit ille, noſtra perfecit manus.

13. USUS VETUSTO] Uſus antiquo more ſcribendi.

14. QUARUM] Sic recte Gudius emendavit, & emendationis rationes attulit. *Quarum*, id eſt, fabularum, quæ proxime præcedunt. Antea vitioſe editum fuit,

Quartum libellum dum tu vacive perleges.

Cui lectioni obſtat ratio metrica.

LIBELLUM] *Libellum* vocat totum hoc opuſculum ſuum, ut lib. 1. prolog.

Duplex libelli dos eſt.

Et lib. 4. fab. 6.

Parva libellum ſuſtine patientia.

Sic eſt ſenſus: Mi Particulo, quoniam fabulæ te delectant, quas Æſopi ad exemplum a me confictas, rectius Æſopeas quam Æſopi nomino, quoniam ille paucas tantum oſtendit, ego tuæ in ſpem gratiæ vetuſto illo ſcribendi genere, ſed rebus fabuliſque novis uſus, plures ejuſmodi fingo diſſeroque; quarum libellum dummodo tu, ut floſculos apicula, late & varie perleges, nunc his, nunc illis ex floribus, omnia libans, ſic verba mea in tuas chartas transferes.

TU] Opponitur *tu* maligno obtrectatori, de quo ſtatim.

VARIE] *Varie* ita intellige, ut ſuperiori nota declaratum eſt, ut tanquam apes ex floribus delibando omnia, mea verba in chartas transferas, licet malignus eas obtrectet.

15. MALIGNITAS] Sic ante *livor* pro livido. Epil. lib. 2.

Si livor obtrectare curam voluerit.

17. QUOD

Mihi parta laus eſt, quod tu, quod ſimiles tui
Veſtras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicatis memoria.
In literarum ire plauſum deſidero.

17. QUOD TU, QUOD SIMILES TUI] Cicero VIII ad Attic. 9. *Quanto autem ferocius ille cauſæ ſuæ confidet, cum vos, cum veſtri ſimiles non modo frequentes, ſed læto vultu gratulantes viderit?*

18. TRANSFERTIS] Excerpitis e ſcriptis meis ſententias, quas imitemini, & ad exemplum noſtrum in chartis veſtris exprimatis.

20. IN LITERARUM] Sic emendavit Gudius. Alii

Inliteratum plauſum non deſidero.

Vulgatæ habent,

In literarum plauſum ire deſidero.

quam lectionem tamen retinet Pariſinus Interpres, fruſtra monentibus viris doctis, verſum ſic non poſſe conſtitui. Levi ergo mutatione medicina fit huic loco,

In literarum ire plauſum deſidero.

Literarum eſt literatorum. Val. Maxim. l. 2. c. 9. *Ipſæ medius fidius mihi literæ ſæculi noſtri obſtupeſcere videntur.* Noſter lib. 4. fab. 6.

Noli moleſtus eſſe omnino literis,

id eſt, literatis.

PLAUSUM] Nihil moror obtrectantium malignitatem, neque deſidero imperitorum hominum laudes & applauſus, ſed approbationem literatorum hominum promereri cupio.

IDEM POETA.

Æ SOPI nomen ſicubi interpoſuero,
Cui reddidi jampridem quicquid debui,
Auctoritatis eſſe ſcito gratia;
Ut quidam artifices noſtro faciunt ſæculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo

Si

AD ALTERUM PROLOG.

1. SICUBI INTERPOSUERO] Si dixero, Æſopum hoc aut illud feciſſe, hanc recitaſſe fabulam.

2. QUICQUID DEBUI] Fabulas ab Æſopo acceptas intelligit: eas ait reddidiſſe, quia ſub ipſius nomine in præcedentibus propoſuit.

3. AUCTORITATIS] Ut mihi major inde naſceretur auctoritas.

GRATIA] Cauſa, id eſt, ob auctoritatem majorem.

4. NOSTRO] Quo ego jam vivo.

5. NOVO] Si marmori novo, vel argento ſuo, id eſt, iconibus ex marmore vel argento a. ſe factis, adſcribunt nomen veterum artificum, quales fuere Praxiteles & Myron, ac. ſi illi ipſi veteres artifices has ſtatuas manibus ſuis feciſſent; idque ut majus lucrum faciant: quia in talibus antiqua novis ſolent præferri. *Invenire pretium operibus*, Belgice effertur: *Gelt van zyn werk maken.*

Si marmori adſcripſerunt Praxitelem ſuo,
Myronem argento. Plus vetuſtis nam favet
Invidia mordax, quam bonis præſentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

6. PRAXITELEM] Praxitelis nomen. Statuarius fuit multi nominis, marmoreis ſignis faciendis nobilis.

7. MYRONEM] Antea editum fuit fœdiſſime,

Detrito Myronem argento. Fabulæ exaudiant
Adeo fugâtæ;

obſcuro ſenſu, & metro corrupto. Quicquid autem ſudent interpretes in his conciliandis, nihil eſt planius, quam ſi temere, ut videtur, intruſa amoveantur; quomodo jam variæ editiones habent,

Myronem argento. Plus vetuſtis nam favet
Invidia mordax.

ARGENTO] Argenteis ſignis, ex quibus, ut & æreis faciendis, illuſtre nomen conſecutus eſt Myron.

FAVET] Minus nocet.

8. INVIDIA MORDAX] Invidi homines. Vidimus jam paſſim. Terent. Eun. 3. l. 20.

Invidere omnes mihi,
Mordere clanculum.

9. TALIS EXEMPLI] Quod probare poſſit ſententiam de invidia dictam.

FAB. I.

DEMETRIUS ET MENANDER.

DEMETRIUS, qui dictus eſt Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos eſt vulgi, paſſim & certatim ruunt:
FELICITER, ſubclamant. Ipſi principes
Illam

AD FAB. I.

1. DEMETRIUS] Orator fuit & Philoſophus eximius.

PHALEREUS] Mavult Nobiliſſ. Heinſius, *Phalerius*, quod alterum penultimam producat. Certe nuſquam Phædrus Spondæum in ſexta ſede admittit; quicquid alii clamitent de ejus negligentia.

2. IMPROBO] Injuſto, contra leges, hoc eſt, factus tyrannus.

3. RUUNT] Intellige *homines*. Quam male Grammatici negent, verba non ad famam pertinentia (ad famam vero pertinent, *ajo*, *fero*, *præ-*

dico, *perhibeo*) poſſe uſurpari ſine ſuppoſito, multis exemplis docet Sanctius in Minerva, & ad eum Cl. Perizonius p. 431. Certe id quoque ſollicitum videtur habuiſſe Meurſium reponentem,

Ut mos eſt vulgi, paſſim & certatim ruit,
FELICITER, *ſubclamat.*

Ruit tamen agnoſcit & MS. de quo Gudius.

4. FELICITER] Solennis acclamationis formula.

IPSI PRINCIPES] Præcipui cives, quomodo *principes Athenienſium* apud Nepotem in Cimone.

6. TA-

Illam oſculantur, qua ſunt oppreſſi, manum,
Tacite gementes triſtem fortunæ vicem.
Quin etiam reſides & ſequentes otium,
Ne defuiſſe noceat, reptant ultimi;
In quis Menander, nobilis comœdiis,
Quas, ipſum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri;
Unguento delibutus, veſtitu adfluens,
Veniebat greſſu delicato & languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
Quinam cinœdus ille in conſpectu meo
Audet

6. TACITE GEMENTES] Tacite gementes ob triſtem fortunam. Non enim auſi ſunt palam queri de miſeranda rerum ſuarum immutatione. Ita fere de iiſdem Athenienſibus, cum ibi rerum potiretur Piſiſtratus, lib. 1. f. 2.

Hinc conſpiratis factionum partibus
Arcem tyrannus occupat Piſiſtratus.
Cum triſtem ſervitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille; ſed quoniam grave
Omne inſuëtis onus, & cœpiſſent queri &c.

7. RESIDES] Deſides, nihil publice agentes, *ſequentes otium*, ut ipſe exponit.

8. NE DEFUISSE NOCEAT] Nempe *ſibi*; hoc eſt, periculum adferat, tanquam contemnerent novum regem. Alii in *defuiſſe* ſuppleri volunt *officio*, ut ſit, non feciſſe officium.

REPTANT] Lento gradu accedunt. Terent. Adelph. 4. 6. 3.

Perreptavi uſque omne oppidum, ad portam, ad lacum.

9. IN QUIS] Inter quos ultimos.

MENANDER] Athenienſis poëta, comicorum princeps.

NOBILIS COMOEDIIS] Comœdiis a ſe ſcriptis clarus.

10. IPSUM IGNORANS] De facie eum non noſcens. C. Nepos Ariſtide 1. *Reſpondit ſe ignorare Ariſtidem.*

11. ET ADMIRATUS] Vid. lib. 4. fab. 21.

VIRI] Dignitatem hic notat hæc vox.

12. VESTITU ADFLUENS] Similis locutio eſt in Propertio lib. 2. El. 22.

Oſtrina cum fluit in tunica.

Eſt autem *adfluens veſtitu*, qui veſtitu fluxiore incedit, quod divitum erat.

13. DELICATO ET LANGUIDO] Molli, effeminato. Huc illud *reptare* poteſt pertinere. Francius meus malebat *delicato, languido*, omiſſa conjunctione.

15. QUINAM] Quo pacto, qua fronte?

CINOEDUS] Ille mollis & effœminatus.

IN CONSPECTU MEO] Pro *in conſpectum meum*. Cicero, *Veni in Senatu*. Sic & alii boni ſcriptores nonnumquam loquuntur. Et contra in verbis non ſignificantibus motum accuſativus ſubinde uſurpatur. Ter. Eun. 2. 2. 29.

Ille ubi miſer famelicus videt me eſſe in tantum honorem.

Ita enim optimi habent codices, non *tanto honore*.

16. PRO-

Audet venire? Reſponderunt proximi:
Hic eſt Menander ſcriptor. Mutatus ſtatim

* * * * * * * * *

16. PROXIMI] Qui ex amicis vel miniſtris circa Demetrium erant.

17. HIC EST MENANDER] Formula demonſtrative uſurpari ſolita in laudem alicujus. Martial. lib. 5. Epig. 13.

Sed toto legor orbe frequens, & dicitur
HIC EST.

Perſius ſatyra 1. 28.

At pulcrum eſt digito monſtrari, & dicier,
HIC EST.

Horatius lib. 4. od. 3. ad Melpomenen,

Totum muneris hoc tui eſt,
Quod monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ.

Græci ita, ὅτος ἐστί. Senſus igitur eſt: *Hic eſt eximius ille Poëta Menander, qui tot comœdiarum eſt auctor.*

FAB. II.

VIATORES ET LATRO.

VIAM *expediti pariter carpebant duo;*
Imbellis alter, alter at promptus manu.
Occurrit illis latro, & intentans necem
Aurum poposcit. Audax confeſtim irruens
Vim vi repellit, ac ferro incautum occupat,
Et vindicavit ſeſe forti dextera.
Latrone occiſo, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein rejecta penula:
Cedo,

AD FAB. II.

Quia Fabula hæc caret principio, viſum eſt quinque hos verſus, licet aliunde ſuppletos, in gratiam adoleſcentiæ præmittere.

6. ET VINDICAVIT] Malim, ſi liceat, hoc pacto,

Seſeque forti vindicavit dextera.

Sic enim gratius fluet verſus.

7. TIMIDUS ACCURRIT] Qui timidus erat ante, & ſtabat e longinquo, nunc accurrit,

8. REJECTA] Remota ad tergum, ne libertatem brachii manuſve impediret. Eſt enim geſtus parantium ſe ad pugnam. Virg. Æn. lib. 5.

Duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna oſſa,
lacertoſque
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.

Ovidius Metam. l. 9. verſ. 32.

Rejeci

Cedo, inquit, illum, jam curabo ſentiat,
Quos adtentarit. Tunc qui depugnaverat:
Vellem iſtis verbis ſaltem adjuviſſes modo,
Conſtantior fuiſſem, vera exiſtimans:
Nunc conde ferrum & linguam pariter futilem,
Ut poſſis alios ignorantes fallere.
Ego qui ſum expertus, quantis fugias viribus,
Scio quod virtuti non ſit credendum tuæ.
¶ Illi adſignari debet hæc narratio,
Qui re ſecunda fortis eſt, dubia fugax.

FAB.

Rejeci viridem de corpore veſtem,
Brachiaque oppoſui.

PENULA] Veſte peculiari eorum, qui faciebant iter, ex corio, vel coacta lana, pluviis arcendis, cum pileo a tergo, forma cuculli.

9. CEDO] Da illum. q. d. Ubi eſt ille?

CURABO SENTIAT] Ut ſentiat. Curabo ut ſentiat me nil fruſtra minari, & qua virtute ſint, quos aggreſſus eſt. Seneca 1 Controv. *Vis illum veras pœnas dare? Sentiat quam injuriam fecerit bono patri.* Cicero Ep. 22. lib. 12. *At etiam de te concionatur, nec impune. nam ſentiet quos laceſſerit.* Ovid. l. 1. Triſtium:

Nunc te prole tua juvenem Germania ſentit.

Propert. El. x. lib. 2.

Sentit & illa tuas poſtmodo capta manus.

Terent. Eunuch. 1. 1. 21.

Sentiet qui vir ſiem.

& princeps poëtarum Virgilius Æn. l. 7. 433.

Ni dare conjugium & dicto parere fatetur,
Sentiat.

10. QUOS ADTENTARIT] Quales & quantos aggreſſus ſit.

QUI DEPUGNAVERAT] Qui ex pugna victor extiterat.

11. VELLEM] Subintellige, *inquit*. Familiaris Phædro Ellipſis.

12. CONSTANTIOR FUISSEM] Multo animoſior fuiſſem, ſi dixiſſes modo, cum mihi negotium fuit cum latrone illo.

13. NUNC CONDE FERRUM] Conde gladium tuum. Contrarium *ſtringere* paulo ante habuimus.

FUTILEM] Tam vana jactantem. Refert & Schefferus ad *ferrum*.

14. IGNORANTES] Homines qui te ignorant.

16. SCIO QUOD] Hanc locutionem, ab aliis impugnatam, probat Faber, & cum eo Voſſius, Scioppius, & ad Sanctii Minervam Jacobus Perizonius.

VIRTUTI] Viribus, fortitudini; quam præſtas ſcilicet in fugiendo, non in pugnando.

18. RE SECUNDA] Proſpera.

DUBIA] Incerta, adverſa, iniqua.

FAB. III.

CALVUS ET MUSCA.

CALVI momordit Muſca nudatum caput,
Quam opprimere captans, alapam ſibi duxit gravem;
Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulæ
Voluiſti morte ulciſci: quid facies tibi,
Injuriæ qui addideris contumeliam?
Reſpondit: Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuiſſe mentem lædendi ſcio:
Sed te, contempti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum ſanguinem,
Optem necare vel majore incommodo.
¶ Hoc argumento veniam tam dari decet Qui

AD FAB. III.

2. OPPRIMERE] Camerarius Fab. 208. *Pungebat ſæpe calvum muſca, nota eſt enim hujus improbitas. Itaque ille palmam calvæ infligere, ut illam opprimeret* &c.

CAPTANS] Quærens, ſtudens, volens.

ALAPAM SIBI INFLIXIT] Sibi inflixit magnum colaphum. *Alapa* Latine, Græce colaphus, pro quovis ictu ſumitur, inflicto manu, ſive capiti, ſive genis, ſive palma, ſive pugno. Hic certe patet percuſſionem capitis intelligi debere, non os verberatum manus palma. Agitur enim de nudato capite calvi, quod muſca momordit.

3. IRRIDENS] Schefferus olim *ridens*. Quod non improbandum. Mollius fluit verſus, & *ridens*, ut ſæpe, eſt pro *irridens*.

VOLUCRIS] Muſca, licet inſecti genus, recte volucris dicitur a volando.

6. MECUM FACILE] Mihi facile ignoſco.

7. LÆDENDI] Me injuria afficiendi.

10. MAJORE] Majore, quam id erat, cum mihi alapam ducerem.

11. HOC ARGUMENTO] *Hac fabula*, plane ut l. 2. f. 8.

Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas.

Et lib. 4. fab. 7.

Hoc argumento ſe deſcribi ſentiat.

Sed jam monuimus ſuperius. Alibi dicit: *Hæc ſignificat fabula*; ut lib. 2. fab. 8.

12. QUI

Qui caſu peccat, quam qui conſilio eſt nocens;
Illum eſſe quamvis pœna dignum judico.

12. QUI CASU PECCAT] Tam ei qui caſu peccat, quam alteri, qui conſilio, id eſt, data opera, eſt nocens, ignoſcere ſapientem decet.

13. ILLUM ESSE QUAMVIS] Quanquam illum, qui animo deliberato nocet, dignum eſſe pœna judico.

FAB. IV.

HOMO ET ASINUS.

QUIDAM immolaſſet verrem quum ſancto Herculi,
Cui pro ſalute votum debebat ſua,
Aſello juſſit reliquias poni hordei.
Quas aſpernatus ille, ſic locutus eſt:
Tuum libenter prorſus adpeterem cibum, 5
Niſi qui nutritus illo eſt, jugulatus foret.
¶ Hujus reſpectu fabulæ deterritus

Peri-

AD FAB. IV.

1. VERREM] Sacrificabatur aper Herculi, ob devictum ab ipſo aprum Erymanthæum, quem vivum humeris ſuſtuliſſe dicitur.

SANCTO HERCULI] Ita recte legitur. *Sanctum* vocant Herculem, Ovidius, Propertius, Cicero, & alii. Gruterus pag. XLVIII. Inſcr. 1. & 2.

SANCTISSIMO. HERCVLI
INVICTO.

Item Inſcr. 11.

HERCVLI. SANCTISS
INVICTO. SACR

& ſic alibi.

2. VOTUM] Cui debebat id, quod voverat, ſi ſaluti redderetur.

3. PONI] Apponi in cibum.

HORDEI] Quo ſaginaverat verrem illum.

7. RESPECTU] Intuitu, conſideratione. Hanc vocem, ut parum Latinam, a nonnullis improbatam defendit Voſſius in lib. de vitiis ſermonis, eamque firmat auctoritate Liviana. Firmat & Gudius contra Hadrian. Cardinalem. Vide eum ad hunc locum. Certe hanc eandem ſibi etiam vitio datam fuiſſe, conqueritur Jacobus Wallius, homo puriſſimæ Latinitatis, & in verſibus ad normam veterum faciendis, omnibus ſui ſæculi ſcriptoribus anteponendus. Neſciebant enim, qui peregrinam hanc vocem putabant, ſic locutum fuiſſe ipſum Ovidium. Sic enim ille Triſtium lib. 1. Eleg. 3 de uxore ſibi vim allatura, niſi mariti cauſa ſuſtinuiſ-

Periculoſum ſemper vitavi lucrum.
Sed dices: Qui rapuere divitias, habent.
Numeremus agedum, qui deprenſi perierunt;
Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas eſt bono, multis malo.

ſet vivere.

Et voluiſſe mori; moriendo ponere ſenſus:
Reſpectuque tamen non poſuiſſe mei.

Iterum Epiſtolar. ex Ponto lib. 4. Ep. 9. de Tomitis, qui eum malebant e Ponto diſcedere, quod videbant illum id vehementer velle, reſpectu tamen ſui hominem retinere cupiebant.

Illi me, quia velle vident, diſcedere malunt,
Reſpectu cupiunt hic tamen eſſe ſui.

Vide ejuſmodi querelam in Wallii Heroicor. lib. 2. Sed ita ſolent vitio creati cenſores. Quæ res mihi in memoriam redigit clamores imperitorum hominum, qui ſatis mirari non poterant in carmine quodam a Jano Broukhuſio Belgas *trepidos* dici, quod ſcilicet illi *formidoloſos* interpretabantur: cum contrarium vel ex hoc noſtro Phædro evinci queat; ne de aliis jam dicam aurei ævi ſcriptoribus. Operæ pretium feret lector, ſi locum inſpiciat, qui occurrit in divina Oda, ſcripta in funere Britanniarum Reginæ. Sed quo relabor?

8 LUCRUM] Congeſtas opes lucro, tanquam rem, quæ poſſeſſores ſuos in varia pericula inducat.

9. QUI RAPUERE DIVITIAS] Nempe ut Juvenalis ait Sat. 14.

Unde habeas quærit nemo, ſed oportet habere.

HABENT] Divites ſunt, bona poſſident. Sic ἔχειν apud Græcos pro *bona poſſidere.*

10. QUI DEPRENSI PERIERUNT] Qui ob opes variis accuſationibus circumventi, & ſuppliciis affecti fuerunt.

11. MAJOREM TURBAM] Bene ſubducta ratione patebit plures fuiſſe punitos, quam impune divitias rapuiſſe.

12. PAUCIS TEMERITAS EST BONO] Temeritas iſta prodeſt paucis, multis vero magnum adfert damnum & incommodum.

F A B. V.

SCURRA ET RUSTICUS.

PRAVO favore labi mortales ſolent,
Et pro judicio dum ſtant erroris ſui,

Ad

AD FAB. V.

1. PRAVO FAVORE] Per pravum & cœcum favorem.

LABI] *Errare.* Sic mox, *erroris.*

2. PRO JUDICIO] Pro errore judicii ſui, id eſt, ſecundum Phædri conſuetum loquendi modum, pro erroneo judicio ſuo. Talia exempla jam ante vidimus.

DUM STANT] Dum tuentur ac defendunt judicium ſuum. Sic apud Terentium eſt *ſtare pro aliquo*, pro *tueri partes alicujus*, defendere aliquem. *Stare & ſedere* ſunt verba forenſia, hoc judicum, illud advocatorum. Sic ſupra l. 3. fab. 10.

Stant patroni fortiter
Cauſam tuentes innocentis fœminæ.

Et lib. 1. fab. 10.

Tunc judex inter illos ſedit Simius.

3. RE-













J. Lebrun del. et fecit. 1701

Ad pœnitendum rebus manifeſtis agi.
¶ Facturus ludos quidam dives nobiles,
Propoſito cunctos invitavit præmio,
Quam quiſque poſſet, ut novitatem oſtenderet.
Venêre artifices laudis ad certamina;
Quos inter ſcurra notus urbano ſale,
Habere dixit ſe genus ſpectaculi,
Quod in theatro numquam prolatum foret.
Diſperſus rumor civitatem concitat:
Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.
In ſcena vero poſtquam ſolus conſtitit,
Sine apparatu, nullis adjutoribus,
Silentium ipſa fecit expectatio.
Ille in ſinum repente demiſit caput,

Et

3. REBUS MANIFESTIS] Rationibus & argumentis invictis.

4. FACTURUS LUDOS] Idem infra fab. 7.

Erat facturus ludos quidam nobiles.

4 NOBILES] Non obvios & quotidianos, ſed celebres, qui paſſim noſcerentur.

5. PROPOSITO] Ita lib. 1. fab. 14.

Hoc bibere juſſit ipſum poſito præmio.

Valer. Max. 6. 8. 2. *Cum magna ſibi præmia propoſita videret.* Virg. 5 Æneid. 291. de Æneа,

Hic, qui forte velint rapido contendere curſu,
Invitat pretiis animos, & præmia ponit.

6. QUAM QUISQUE POSSET] Ordo eſt: *Ut quiſque oſtenderet novitatem, quam poſſet.*

NOVITATEM] Nova inventa, novam artem ludicram.

7. LAUDIS AD CERTAMINA] Ut certarent de laude & præmio propoſito.

8. SCURRA] Ex eorum genere, qui riſum movent auditoribus, nulla habita ratione verecundiæ & dignitatis.

URBANO SALE] *Sal* hic eſt pro eo, quod jocoſum eſt. *Urbanus* vero *ſal*, cui ineſt elegantia & eruditio quædam ex converſatione politorum & eruditorum hominum.

9. HABERE] Sic fere de re inventa hoc verbum uſurpatur.

10. NUMQUAM PROLATUM] Ex ſententia ſcilicet divitis, facere volentis ludos novo ſpectaculo nobiles.

11. DISPERSUS RUMOR] Terentius in prolog. Hecyr. in re ſimili, *Rumor venit.*

CONCITAT] Convocat in locum unum, ſc. theatrum.

12. DEFICIUNT LOCA] Deſunt turbæ loca.

15. EXSPECTATIO] Exſpectatio ſcurræ, cum ille moraretur, apud populum ſilentium facit.

Et ſic porcelli vocem eſt imitatus ſua,
Verum ut ſubeſſe pallio contenderent,
Et excuti juberent: quo facto, ſimul
Nihil eſt repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plauſu proſequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Ruſticus; Non mehercule
Me vincet, inquit: & ſtatim profeſſus eſt
Idem facturum melius ſe poſtridie.
Fit turba major; jam favor mentes tenet,
Et deriſuri, non ſpectaturi, ſedent.

Uter-

17. PORCELLI VOCEM EST IMITATUS] Luſit Auſonius in hominem animantium variorum voces exprimentem hoc epigrammate:

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Caprigenumque pecus, lanigeroſque greges
Balatu adſimulas. aſinos quoque rudere dicas,
Quum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus.
Gallorum cantus, & ovantes gutture corvos,
Et quicquid vocum bellua talis habet.
Omnia quum ſimules, ita vere, ut ficta negentur,
Non potes humanæ vocis habere ſonum.

18. VERUM] Nobiliſſimus Heinſius legit *Verrem ut* &c.

PALLIO] Pro toga poſitum ait Gudius, cum in pallio ſinus non ſit.

19. ET EXCUTI] Pallium videlicet aut ſinum. Planiore ſenſu legit Heinſius, *Idque excuti juberent.*

QUO FACTO] Poſtquam excuſſo pallio non eſt repertus porcellus.

20. ONERANT LAUDIBUS] Abunde laudibus proſequuntur. Juſtin. lib. 5. cap. 4. *Igitur omnibus non humanis tantum, verum & divinis eum honoribus onerant.*

21. HOMINEMQUE PLAUSU PROSEQUUNTUR] Cicero pro Roſcio comœdo c. 10. *Sic eſt vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimat. Quid ſciret ille, perpauci animadvertebant: ubi didiciſſet, omnes quærebant. nihil ab hoc pravum & perverſum produci poſſe arbitrabantur. Si veniret ab Statilio, tametſi artificio Roſcium ſuperaret, adſpicere nemo poſſet. Quia veniebat a Roſcio, plus etiam ſcire, quam ſciebat, videbatur.*

22. RUSTICUS] Ruſticus quidam, qui ibi aderat.

25. FIT TURBA MAJOR] Concurſus omnis generis hominum.

FAVOR] De ſpectatoribus applaudentibus in theatro vel ſcena dicitur, ut infra fab. 7.

Tibicen gratulari fautores putat.

MENTES TENET] Favor erga ſcurram ita occupatas habuit multitudinis mentes, ut adempta eſſet iis omnis libertas judicandi.

26. ET DERISURI] Heinſius,

Ut deriſuros, non ſpectaturos ſcias.

Forte,

Et deriſores, non ſpectatores ſedent.

Quam conjecturam mihi ſuppeditat locus ex lib. 3. fab. 14. ubi ſic noſter de Æſopo:

Quod ſenſit ſimul
Deriſor potius quam deridendus ſenex,
Arcum retenſum poſuit in media via.

ubi *deriſor* oppoſitum τῷ *derídendus* idem valet, quod *deriſurus*; ut ſenſus ſit, Quod ubi ſenſit ſenex Æſopus, qui potius eum eſſet deriſurus, (ſolebat nempe hic Fabulator ſtultitiam hominum deridere, & ſic eorum errores corrigere) quam ab eo derídendus.

NON SPECTATURI] Non tam ad eum ſpectandum, quam derídendum.

27. UTER-

Uterque prodit: Scurra digrunnit prior,
Movetque plauſus, & clamores ſuſcitat.
Tunc ſimulans ſeſe veſtimentis Ruſticus
Porcellum obtegere, quod faciebat ſcilicet,
Sed in priore quia nil compererant, latens,
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturæ exprimit.
Adclamat populus: Scurram multo ſimilius
Imitatum; & cogit Ruſticum trudi foras.
At ille profert ipſum porcellum è ſinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans;
En hic declarat, quales ſitis judices.

27. UTERQUE] Scurra & Ruſticus prodeunt in ſcenam. *Prodire in ſcenam* eſt & apud Nepotem in præfatione.

DIGRUNNIT] In ſinum, ut ante fecerat.

28. MOVETQUE PLAUSUS] Commovet multitudinem ad edendos plauſus manibus. Sic enim ſolebant, cum quid approbarent.

CLAMORES SUSCITAT] *Tollere clamorem* dixit 1, 11. & 1, 6. Cicero in Bruto c. 95. *clamores facere.*

30. SCILICET] Confirmantis hic eſt particula.

31. SED IN PRIORE] Toti ſunt in aſſerendo hoc verſu Freinshemius & Schefferus. Malim cum Heinſio delere.

COMPERERANT] Nempe ſpectatores.

32. VERO] Vero porcello in veſtibus latenti.

33. VOCEM NATURÆ] Vocem ſuis, naturalem grunnitum.

35. TRUDI FORAS] Ejici contumelioſe. Sic Ter. Eun. 4. 5. 11.

Nam me extruſit foras.

37. APERTO PIGNORE] Claro ac manifeſto. *Pignus* notat argumentum certiſſimum.

38. HIC DECLARAT] Hic porcellus oſtendit errorem veſtri judicii.

POETA.

ADHUC ſuperſunt multa, quæ poſſim loqui,
Et copioſa abundat rerum varietas;

Sed

POETA.

39. ADHUC SUPERSUNT MULTA] *Superſunt mihi quæ ſcribam, ſed parco ſciens.* Lib. 4. fab. 25.

LOQUI] *Scribere*, ut loco laudato.

41. TEM-

Sed temperatæ ſuaves ſunt argutiæ:
Immodicæ offendunt. Quare, vir ſanctiſſime
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certe brevitatem adproba,
Quæ commendari tanto debet juſtius,
Quanto poëtæ ſunt moleſti validius.

41. TEMPERATÆ SUAVES SUNT ARGUTIÆ] Ter. Andr. 1.

Id arbitror
Adprime in vita eſſe utile, ut ne quid nimis.

42. IMMODICÆ OFFENDUNT] Nimiæ ſunt moleſtæ ac tædioſæ.

VIR SANCTISSIME] Integerrime. Sic lib. 3. fab. 10. *Sancta uxor*, de integra vitæ & innocente.

43. NOMEN VICTURUM] Cujus nomen in ſcriptis meis vivet. *Vivere* eſt hic immortali gloria & memoria vigere. Et ita uſurpatur paſſim apud Scriptores.

45. CERTE] *Certe* hic eſt minimum, ſaltem. Sic ſupra lib. 2. fab. 5.

Donationis, alapæ certe, gaudio.

BREVITATEM] Brevitatem magni beneficii loco imputat, cum alias ſolerent poëtæ enecare & macerare homines ſuis verboſis commentationibus. Docent id loca, quæ congeſſere viri docti.

46. TANTO JUSTIUS] Tanto majori jure.

47. POETÆ] Qui juſta opera conſcribunt, quos recitantes non poſſis ſine maxima moleſtia audire. Ovidius:

Ut nos nulla tibi jam ſit legiſſe voluptas:
At brevior demtis pœna duobus erit.

FAB. VI.

DUO CALVI.

INVENIT Calvus forte in trivio pectinem,
Acceſſit alter, æque defectus pilis;
Heia, inquit, in commune quodcunque eſt lucri.
Oſten-

AD FAB. VI.

1. CALVUS] Quidam homo calvus, ut ſolet Phædrus de ignotis.

2. ÆQUE DEFECTUS PILIS] Quem defecerant pili, qui amiſerat pilos. Sic ſup. *defectus annis.*

3. IN COMMUNE] Formula ſolennis, qua utebantur, qui quid alium inveniſſe viderant in publico. Integra locutio eſt, *Confer in commune.* Sed *confer* brevitatis cauſa omittitur.

5. SU-

Oſtendit ille prædam, & adjecit ſimul:
Superum voluntas favit, ſed fato invido:
Carbonem, ut ajunt, pro theſauro invenimus.
¶ Quem ſpes deluſit, huic querela convenit.

5. SUPERUM VOLUNTAS FAVIT] Hoc quoque ſolenne erat. Dicebant talia a diis dari. Quid ſi verſus ita conſtituatur,

Superum voluntas favit, at fato invido?

INVIDO] Iniquo, non favente.

6. CARBONEM] Rem nobis non profuturam, nec ullius pretii. Carbones ſcilicet olim propter limites defodiebant. Confer l. 3. f. 12.

UT AJUNT] Ceſſit enim in proverbium. Vid. Eraſmi Chiliad.

7. QUEM SPES DELUSIT] Qui ſpe ſua fruſtratus eſt.

F A B. V I I.

PRINCEPS TIBICEN.

UBI vanus animus, aura captus frivola,
Arripuit inſolentem ſibi fiduciam,
Facile ad deriſum ſtulta levitas ducitur.
¶ Princeps tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo ſolitus in ſcena dare.

Is

AD FAB. VII.

1. UBI VANUS ANIMUS] Plerumque contingit, ut homines nec certa propoſita habentes, inflati parvulo ſucceſſu audeant ſperare majora ſolitis. Sed huic conſequens eſt, ut illorum levitas agnita ludibrium debeat.

AURA] Vulgi gratia & favore. Horat. od. 2. lib. 3.

Arbitrio popularis auræ.

Virg. 6 Æneid.

Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.

Ubi Servius exponit, *Favoribus. Unde* & AURARII *dicuntur favitores.* Cicero dixit, *ventus popularis, venti concionum.*

FRIVOLA] Fragili, quæ cito perit.

2. SIBI] Eleganter abundat hæc vocula, ut ſæpe apud ſcriptores.

3. AD DERISUM] Ad deriſionem, ut derideatur.

STULTA LEVITAS] Vanus animus, vel vanitas illa animi.

4. PRINCEPS] Nomen proprium. *Principis* Grammatici meminit Suetonius lib. de Illuſtribus Grammaticis cap. 4. his verbis: *Me quidem adoleſcentulo, repeto quendam Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis diſputare, nonnullis vero mane differere, poſt meridiem, remoto pulpito, declamare ſolitum.* Vid. Gruter. Inſcription. DCCCXXXIII. 10. Ita nomina propria ſunt, Rex, Regulus, Tyrannus, Tyrannio, Creon, Creuſa, & alia id genus.

NOTIOR PAULO] Quam alii ejuſdem generis homines.

5. OPERAM BATHYLLO SOLITUS] Inflare tibias ſolitus, ad quas Bathyllus mimus ſaltaret. Vixit hic Bathyllus tempore Auguſti.

Is forte ludis, non ſatis memini quibus,
Dum pegma rapitur, concidit caſu gravi
Nec opinans, & ſiniſtram fregit tibiam,
Duas quum dextras maluiſſet perdere.
Inter manus ſublatus, & multum gemens,
Domum refertur. Aliquot menſes tranſeunt:
Ad ſanitatem dum venit curatio.
Ut ſpectatorum mos eſt, & lepidum genus,
Deſiderari cœpit, cujus flatibus
Solebat excitari ſaltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobiles,
Et incipiebat Princeps ingredier. Eum

Addu-

7. PEGMA] Machina fuit artificioſa, pro diverſitate argumenti adornata, in qua vel in ſublime attollere, vel e ſublimi in præceps dare, ac velut dehiſcente terra abſumere ſolebant ſive homines, ſive res, quas eſſet libitum.

RAPITUR] Indicat hæc vox celeritatem, qua dehiſcebat aut ſurgebat motum ponderibus latitantibus. Claudianus:

Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis.

8. NEC OPINANS] *Nec* valet *non*. Ter. Andria, *Nec opinantes*. Noſter lib. 1. c. 9. *Accipiter nec opinum rapit*. Virgil. dixit pro eo *incautus* Æneid. 1.

Et ferro incautum ſuperat.

9. DUAS QUUM DEXTRAS] Fregit tibiam, ſive crus ſiniſtrum, ſed maluiſſet duas dextras tibias (quas ſc. in comœdiis adhibebat) frangere, quam unicam illam ſiniſtram. Luſus elegans eſt in voce *tibiæ*.

10. INTER MANUS SUBLATUS] Manibus latus e theatro. Cicero Accuſ. 5. in Verrem cap. 11. *Itaque erant exitus ejuſmodi, ut alius inter manus e convivio, tanquam e prælio auferretur*. Livius l. 3. de Q. Cæſone: *Inter manus domum ablatus*. Lucretius lib. 1. verſ. 96. de Iphigenia Dianæ immolanda,

Nam ſublata virum manibus tremebundaque ad aras
Deducta eſt.

11. ALIQUOT MENSES TRANSEUNT] Lapſi ſunt aliquot menſes, antequam plene eſſet curatus. *Ire* & *tranſire* de tempore uſurpatur. Ovid. Metamorph. l. 2. verſ. 330.

Si modo credimus, unum
Iſſe diem ſine ſole ferunt.

13. LEPIDUM GENUS] Ut ſpectatorum genus ſolet eſſe lepidum, & a tibicine ſe vult exhilarari. *Lepidum ſpectatorum genus*, id eſt, lepidi ſpectatores, formula Phædro ſolenni. Sic *Grajum genus* pro ipſis Græcis eſt apud Ennium. Et eodem modo ab Euripide dictum eſt, Πρεσβυτῶν γένος, pro ipſis ſenibus.

14. FLATIBUS] Cantibus. q. d. quo tibia canente.

15. SALTANTIS] Bathylli, cui operam in ſcena dabat.

16. ERAT FACTURUS] Vid. ſup. fab. 5.

17. ET INCIPIEBAT PRINCEPS] Ita Heinſius:

Ut incipiebat Princeps ingredier, eum
Inducit pretio & precibus, ut tantummodo
Ipſo ludorum oſtenderet ſeſe die.

18. PRE-

Adducit pretio, precibus, ut tantummodo
Ipſo ludorum oſtenderet ſeſe die.
Qui ſimul advenit rumor de tibicine,
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum,
Quidam in conſpectum proditurum ſine mora.
Aulæo miſſo, devolutis tonitrubus,
Dii ſunt locuti more tranſlatitio.
Chorus reducto tunc, & notum canticum
Impoſuit, cujus hæc fuit ſententia:
LÆTARE INCOLUMIS ROMA SALVO PRINCIPE.
In plauſus conſurrectum eſt; jactat baſia
Tibicen

18. PRETIO, PRECIBUS] Terentius Eun. 5. 9. 24.

Perfice hoc
Precibus, pretio ut hæream aliqua in parte tamen apud Thaidem.

Horatius etiam:

Nunc prece, nunc pretio.

Nos Belgæ: *Hy brengt 'er hem toe met gelt en goede woorden.*

20. QUI SIMUL ADVENIT RUMOR] Qui rumor ſimulac diſpergeretur, venturum nempe Principem, fremitum excitat in theatro.

23. AULÆO MISSO] Cum dimitteretur aulæum, poſt quod ſtabant actores. Heinſius:

Aulæo miſſo, devolutis tonitrubus,
Diis collocutis more tranſlatitio,
Chorus reducto &c.

DEVOLUTIS TONITRUBUS] Fiebant hæc ſaxis dejectis poſt ſcenam, magno cum fragore.

24. MORE TRANSLATITIO] Quo transferebantur in ſcenam, ornati magnifice, cum intervenire difficilioribus negotiis deberent, machinæ alicujus ſubſidio. Quanquam per *tranſlatitium* intelligi poteſt pridem uſurpatum, conſuetum & vulgarem.

25. REDUCTO] Tibicini nempe una cum cæteris, ex quibus chorus conſtabat. Poſitum eſt pro *introducto*, *denuo ducto in theatrum*, quia promiſerat ſe oſtenſurum ſe.

27. LÆTARE INCOLUMIS ROMA] Reſpicit morem acclamandi Principibus. Ita Romæ, acceptis de recuperata Germanici valetudine nunciis, exclamatum, SALVA ROMA, SALVA PATRIA, SALVUS EST GERMANICUS. Et ſimiliter de Alexandro Severo, SALVA ROMA, QUIA SALVUS ALEXANDER.

28. IN PLAUSUS CONSURRECTUM EST] Simul ab omnibus ſurrectum eſt, ut plauſus ederent. Stantes enim fere edebant, præſertim ſi hoc Principis cauſa facerent. Suetonius Auguſto, *Aſſurrectum ei ab univerſis & a ſtantibus plauſum.* Auctor Dialogi de claris Oratorib. *Teſtis ipſe populus, qui auditis ejus* (Virgilii) *verſibus ſurrexit univerſus.* Apul. Apolog. *Ibi ego comperior, omnes judices tanto poëtæ adſurrexiſſe.* i. e. in plauſum. Arnobius lib. 4. *Conclamant, & adſurgunt theatra.* Græci vocant ἀναπηδᾶν & ὑπανίστασθαι.

JACTAT BASIA] Ori admota manu, ſpargit in vulgus, gratiarum agendarum cauſa. Sic enim ſolebant, quoties declarare animum gratum, aut quoquo modo deditum aliis vellent. Fiebat autem manu primum admota ori, dein-

Tibicen, gratulari fautores putat.
Equeſter ordo ſtultum errorem intelligit;
Magnoque riſu canticum repeti jubet.
Iteratur illud; homo meus ſe in pulpito
Totum proſternit; plaudit inludens eques:
Rogare populus hunc coronam exiſtimat.
Ut vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps ligato crure nivea faſcia,
Niveiſque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinæ Domus,
Ab univerſis capite eſt protruſus foras.

FAB.

de porrecta ad eos, quorum amori vel honori hoc dabatur, & ſic oſculum ipſum porrigebatur velut ac jactabatur. In pleriſque codicibus eſt,

Jactant baſia,
Tibicen gratulari fautores putat.

quomodo emendat & diſtinguit Petrus Scriverius Notis ad Martialem p. 38. probante etiam Nicolao Heinſio. Sed ſequens verſus videtur repugnare.

29. GRATULARI] Abſolute, *gratulari*, pro *gratulari ſibi*. Ita lib. 4. fab. 11.

Quum gratulantes perſalutaſſet Deos.

30. EQUESTER ORDO] Equites in theatro ſedentes.

STULTUM ERROREM] Errorem ex ſtultitia, & judicii infirmitate natum.

32. HOMO MEUS] Tibicen Princeps, de quo loquor. Additur illud *meus*, velut per commiſerationem tantæ ſtultitiæ.

IN PULPITO] Ubi canere fabulamque agere ſolebant perſonæ.

33. PLAUDIT INLUDENS EQUES] *Eques* hic eſt pro *equites*, vel *equeſter ordo*, ut ante. *Plaudit* vel *plauſus dat*. Horat. l. 1. Od 20.

datus in theatro
Cum tibi plauſus.

34. ROGARE POPULUS] Populus putat eum rogare ut coronetur tanquam victor. Non male forte legeretur,

Rogare populus hinc coronam exiſtimat:

ut ſenſus ſit, Ex eo, quod tibicen ſe in pulpito proſterneret, & tantos plauſus darent Equites, ex eo, inquam, populus credidit eum rogare coronam. Sed nihil immutandum.

CORONAM] Præmium certaminis in ludo illo.

35. UT VERO] Ut vero per omnes partes theatri intellecta eſt hominis vanitas.

CUNEIS] Sedilibus in theatro, ubi ſedebat populus.

36. NIVEA FASCIA] Alba, candida; qui color olim relatus eſt inter regales.

37. NIVEISQUE TUNICIS] Præfert illuſtriſſimus Gudius *Niveaque tunica*: quem vide omnino ad hunc locum.

38. HONORE DIVINÆ DOMUS] Honore, quo non ipſe, ſed divina domus afficiebatur, id eſt, Auguſta, Cæſarea, Imperatoria, Principalis. Rigaltius hunc locum dum emendare vult, corrumpit. Ipſe eum vide.

39. CAPITE EST PROTRUSUS FORAS] Cum contumelia præceps eſt datus. Sic fere f. 5. 35. Terentius Eunuch. 4. 5. 11.

Correxit miles, quod intellexi minus: nam
me extruſit foras.

FAB. VIII.

OCCASIO DEPICTA.

CURSU volucri pendens in novacula,
Calvus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis, teneas; elapsum semel
Non ipse possit Jupiter reprehendere;
Occasionem rerum significat brevem.
¶ Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere Antiqui talem effigiem Temporis.

FAB.

AD FAB. VIII.

1. CURSU VOLUCRI] Alatis pedibus.

PENDENS] Tam celer, ut terram non attingat. Sic enim de volantibus. Ovidius de Perseo lib. 4. Metamorph.

Cumque super Lybicas victor penderet arenas.

Et sic alii.

IN NOVACULA] Vide præter alia, quæ passim occurrunt, Andreæ Alciati Emblem. XVI. lib. 1. *In novacula* autem valet hic *cum novacula*, vel *novaculam manu tenens*. Virgilius 5 Æneid.

Horridus in jaculis.

hoc est, jaculis instructus. Idem lib. 11.

Rapidum super amnem
Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.

Florus l. 1. *Juventus in equis & armis*, h. e. armata & equis insidens. Ausonius Epigramm. CXXXI,

Laudo Timomachum, matrem quod pinxit in ense
Cunctantem.

h. e. quod pinxerit cunctantem, cum manu jam teneret gladium ad interficiendos liberos. Manilius lib. 2. vers. 241.

Et qui contento fulget Centaurus in arcu.

Danetus exponit male, *tanta velocitate, ut posset incedere in novacula.*

2. CALVUS] Muliebri specie quoque ita pingitur.

Fronte capillata, post est Occasio calva.

COMOSA FRONTE] Comis abundante.

NUDO CORPORE] Quo nempe sit expeditior ad avolandum.

3. QUEM SI OCCUPARIS] Quem si prævenias inopinatum quasi ac non sentientem.

TENEAS] Ne patiaris a te abire, quia semel elapsus non redit.

4. NON IPSE POSSIT JUPITER] Non ipse Jupiter, quamvis sit maximus deorum, & omnipotens dicatur.

REPREHENDERE] Retrahere e fuga. Livius: *Adeo turbati erant dextræ alæ equites peditesque, ut quosdam Consul Cato manu ipse reprenderit verteritque in hostem.* Lucretius lib. VI. vers. 507.

Quod nisi respirent venti, non ulla refrænet
Res, neque ab exitio possit reprehendere euntes.

Propertius,

Quam possit quisquam nostros reprehendere cursus.

6. EFFECTUS IMPEDIRET] Ne per nimiam cunctationem effectu rerum destituamur. Optime legit Nob. Heinsius,

Effectus impediatur ne segni mora.

7. TEMPORIS] Non simpliciter, sed ejus, quod ante dixit *occasionem*, h. e. opportunitatem.

FAB. IX.

TAURUS ET VITULUS.

ANGUSTO in aditu Taurus luctans cornibus,
Quum vix intrare posset ad præsepia,
Monstrabat vitulus quo se pacto plecteret:
Tace, inquit, antè hoc novi, quàm tu natus es.
¶ Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

AD FAB. IX.

1. LUCTANS CORNIBUS] Difficulter permeans.

3. VITULUS] Qui forte adstabat.

PLECTERET] Alii *flecteret*. Eodem recidit. Docet Schefferus in libris de re vehiculari, 1. 4.

4. QUAM TU NATUS ES] Præsens, pro præterito perfecto, *natus fuisti*. Proverbium conveniens seni reprehendenti hominem adolescentem & sciolum, a quo lacessitur.

5. QUI DOCTIOREM EMENDAT] Sus scilicet Minervam docens, ut in alio est proverbio.

SIBI DICI PUTET] Sic fere supra. Terentius Ad. 1. 2. 16.

Hæc cum illi, Micio,
Dico, tibi dico.

FAB. X.

VENATOR ET CANIS.

ADVERSUS omnes fortis veloces feras
Canis quum domino semper feciſſet satis,
Languere cœpit annis ingravantibus.

Ali-

AD FAB. X.

1. ADVERSUS OMNES] Aliam fabulam de Cane sene refert Camerarius fab. 278. Confer Statium sic loquentem de Leone jam sene Thebaid. l. XI.

Qualis leo rupe sub alta,
Quem virides quondam silvæ montesque tremebant,
Jam piger & longo jacet exarmatus ab ævo.
Magna tamen facies, & non adeunda senectus:
Et si demissas veniat mugitus ad aures
Erigitur, meminitque sui, viresque peractas
Ingemit, & campis alios regnare leones.

FORTIS VELOCES] Malim certe cum Heinsio:

Adversus omnes fortis & velox feras.

Vid. eum ad hunc locum.

2. SEMPER FECISSET SATIS] Tmesis, pro *satisfeciſſet*.

3. ANNIS INGRAVANTIBUS] Cum anni eum gravarent, id est, molestiam adferrent: vel, annis ingravescentibus. Sic Horatius dixit *gravis annis*, de milite sene. Ovidius quoque,

Quoniam


FAB. X.


APP. FAB. I.


FAB. II.


FAB. III.


FAB. V.


FAB. IV.

Aliquando objectus hiſpidi pugnæ ſuis,
Adripuit aurem: ſed carioſis dentibus,
Prædam dimiſit. Hic tum Venator dolens,
Canem objurgabat. Cui latrans contra ſenex:
Non te deſtituit animus, ſed vires meæ.

Quod

Quoniam gravis ipſa ſenecta eſt.
Ennius apud Ciceronem, *ſenio confectus.*

4. ALIQUANDO OBJECTUS] Commiſſus quodam tempore cum ſue in pugnam. Multa congerit exempla Torrentius ad Horatium Epod. lib. od. 2. quo probet, ubi de re venatica ſermo eſt, *canes* fœminino genere uſurpari. Fatetur tamen hanc obſervationem non eſſe perpetuam. Patet certe etiam ex hoc Phædri loco. Quin & ex Columell. 7. 12. *Pecuarius canis neque tam ſtrigoſus & pernix eſſe debet, quam qui damas cervoſque & velociſſima ſectatur animalia.*

HISPIDI] Setoſi apri.

5. CARIOSIS DENTIBUS] Invalidis jam & carie adeſis.

6. VENATOR DOLENS] Prædam jam captam ſic ſibi iterum, tanquam bolum e faucibus, eripi.

7. LATRANS CONTRA SENEX] Non dubitavimus ita reſtituere hunc verſum hactenus corruptum: hortante imprimis, cui plurimum in his ſtudiis tribuimus, Jano Broukhuſio. Prima in *latrare* a nemine veterum, qui alicujus eſſet auctoritatis, umquam correpta eſt. Adeo ut cum aliis erraverit Guntherus, dum ſcriberet,

Portavit ſcapulis paſſus plus mille latrantem.

Quod non vidit eum laudans Rittershuſius, qui tamen Phædrum nimiæ negligentiæ in obſervandis hujus carminis legibus accuſat. Vid. Voſſ. de Arte Gramm. l. 2. p. 75. ubi hunc Phædri verſum improbat. Ultima enim horum verſuum ſedes neceſſario recipit Iambum. Hinc doctiſſimus Barthius merito in Perottum invehitur, qui tam indoctus fuerit poëſeos, ut etiam ultimo ſenarii pedi ſpondæum appoſuerit. Accuratius hac voce eſt uſus Jacobus Sannazarius, quem non veretur Ludovicus de la Cerda, elegans ingeniorum ſpectator, anteponere Statio Papinio. Sic ille Epigr. lib. 1. 19.

Cum prope latrantes ſenſit adeſſe canes.

Et lib. 2. 46.

Quod noctu latras, quod ſellas olfacis unus.

Par ratio eſt in *migrare*, in qua voce primam male corripuit Manilius. Et eadem pœne in *Nigrare*, cujus prima, ut bene obſervavit Taubmannus, a Virgilio ſemper extenditur, excepto uno loco in lib. VIII Æneid.

Credunt ſe vidiſſe Jovem, cum ſæpe nigrantem.

Itaque re bene perpenſa puto nihil melius eſſe, quam hanc in Phædro emendationem admitti, urgente etiam, ut mihi videtur, ipſo ſenſu. Nam *ſenex contra latrans* videtur eſſe, *ſenex contra reſpondit latrans*, id eſt, *latrando.* Unde nihil periculi, ſi verba ita, ut monuimus, tranſponantur. *Latrans contra ſenex* ſignificat igitur, Canis contra ſenex & gravatus annis domino ſuo hoc pacto reſpondit. *Latrans*, ut jam ante monuimus, ponitur pro *latratore*, ut *amans* apud Terentium & Ovidium pro *amatore*; *Medentes* pro *medicis* apud Lucretium; *Hinniens* pro *equo* apud Apulejum; *Mugientes* pro *bubus* apud Horatium; *Laniger* quoque apud noſtrum pro *agno*; & *Auritulus* pro *aſino.* Quod tamen ſummopere miror non admitti a doctiſſimo Cellario, ſtatuente cum Gebhardo, dicto loco retineri debere *auriculas* pro *auritulus.* Vide eum in Theſauro Fabri in voce *Auricula.*

8. NON TE DESTITUIT ANIMUS] Animus meus non deſtituit te, non fallit, non facere negligit, aut curat quod imperas. Vir celeberrimus mihique amiciſſimus Petrus Francius, reponebat, *Non me deſtituit animus*; quod non diſplicet. Apud Virgilium lib. 5 Æneid 394. ſic fere Aceſtæ, a quo dictis caſtigabatur, & impellebatur ad pugnam, reſpondet Entellus:

Non laudis amor, nec gloria teſſit
Pulſa metu: ſed enim gelidus tardante ſenecta
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.

9. QUOD

Quod fuimus laudas, jam damnas quod non ſumus.

¶ Hoc cur, Philete, ſcripſerim, pulcre vides.

EXPLICIT LIB. V.

9. QUOD NON SUMUS] Damnas quod non ſimus amplius. i. e. Ægre fers, quod non ſemper retineamus, & ſic etiamnum habeamus illas vires, quas habuimus olim. Ex conjectura Heinſii legi poſſit,

Quod fuimus, lauda, non damna, quod jam ſumus.

vel,

Quod fuimus laudas, dum damnas quod nunc ſumus.

Barthius Adverſ. l. 44. c. 6. legit,

Quod fuimus laudas? jam dedamnas quod ſumus.

Ita ille, ſed non favente Delio.

10. HOC CUR, PHILETE, SCRIPSERIM] Sic fabellas aliquando finit auctor. lib. 3. fab. 12.
